Zur

öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des

Königlichen Gymnasiums zu Lissa

am 14. April 1851

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst ein

der Direktor des Gymnasiums

A. Ziegler.

Inhalt:

1. De diversis quibus Graeci et Romani in dicendo usi sunt brevitatis generibus, *vom Director.*
2. Schulnachrichten, *vom Director.*

Lissa.

Gedruckt bei Ernst Günther.

02.31024

De diversis quibus Graeci et Romani in dicendo usi sunt brevitatis generibus.

Specimen primum.

Nemo fere grammaticorum, quod sciam, id dicendi genus, quo brevi et concisa oratione utuntur vel Graeci vel Romani pro plena et explicata sententiarum enunciatione, ita tractavit, ut varias et diversas hujus generis species ex tanta formarum dissimilitudine ad unum quasi fontem revocaret, unde certa aliqua lex derivaretur, quae totum hujus usus ambitum et amplecteretur et in suos ordines describeret, descriptaque generatim et singillatim illustraret. Cui rei hasce pagellas consecranti mihi non ea mens est ut totam quaestionem absolvam, neque tantum mihi sumo neque arrogo, ut quae a G. Hermanno, L. Doederlino, aliis viris omni laude ornatis in hoc genere sunt elaborata atque elucubrata contemnam, sed ut, quoad ejus fieri possit, grammatici hujus loci fines, artioribus hucusque quam certioribus terminis descriptos, cum propagare, tum accuratius constituere singulisque breviloquentiae formis explicandis certiorem aliquam normam adhibere possim.

Omnis brevis et concisa oratio id spectat, ut via quam possit proxima et quasi compendiaria id consequatur, quod velit, sive illud causam et materiam sumsit ex iis, quae sermonis usus praebet, subsidiis, sive ex eo pendet, quali is, qui loquitur, sit animi affectu commotus, laetetur an timeat, amet an oderit, sive quis alios ad suos sensus adducere cupit. Quarum causarum unaquaque nonnunquam efficitur, ut, quaecunque grammaticae logicaeque tantum legis quum integritati, tum severitati inserviant, respuamus atque aspernemur, dummodo intelligamur et, quod volumus, consequamur. Neque non sapienter institutum est natura, ut vel in dicendo logicam grammaticamque artem sine detrimento aliquatenus negligere possimus, ne videlicet et ejus, qui loquitur, et ejus, qui audit, animus ab ipsa re abstrahatur, nimisque convertatur ad formae grammaticae vel logicae perceptionem. Immo ex ipsis illis artibus recte probeque negligendis nova aliqua dicendi ars profisciscitur, quam non dubium est, quin recte aliquis rhetoricam definiverit. Quamobrem haec quoque, quam tractaturi sumus, quaestio de brevitate, qua Graecos et Latinos in dicendo usos esse videmus, non poterit ad artem rhetoricam non tota pertinere. Jam vero quum grammatica illi arti affinis aliquam hujus generis partem suo quodam jure sibi tractandam arrogaverit, terminis certis inter utramque constitutis, veterem, quam sibi vindicarunt, possessionem grammaticis concedemus, eam autem partem, cujus neque origini, neque verborum conformationi quidquam cum grammatica lege commune est, ab illa sejungemus atque seorsum tractabimus. Quoniam vero omnis brevitas in verborum conformatione cognoscitur, quamvis discrepanti a regula grammatica, hujus etiam partis tractatio aliquantum ad grammaticam pertinebit.

Praegnantem autem etiam, quem dicunt, verborum usum a brevitate in loquendo prorsus sejungendum et segregandum censeo, ne omnis quaestio nostra et disputatio miscendo, quae diligenter distinenda sunt, obscuretur et ad irritum redigatur. Ut rem semel paucis absolvam, primum eam brevitatem quae in sententiarum exilitate orationisque egestate cernitur, prorsus praetermittam, memor vel maxime Ciceronis sententiae, qua (Brut. 13. 50) brevitatem dicit laudem esse interdum in aliqua parte dicendi, in universa eloquentia laudem non habere. Altera igitur illa laude digna, quam tertio de oratore libro distincte concisam brevitatem appellat, et quae verbis moderatius et parcius adhibitis continetur, bipartita est. Ea nimirum quae fusiori et languidiori orationis generi opponitur, rhetoricae solummodo est et artis et tractationis; altera quae contraria est sermoni pleno verborum numero explicato, quamquam ad rhetoricam quoque pertinet, tamen tractationem grammaticam non respuit. Quamobrem nisi de hoc brevitatis genere dicendi locus nobis non erit. Hujus brevitatis vim et naturam in verborum numero et copia, sententiarum integritate, emphasin vero in verborum vi et facultatibus ponendam censeo. In illa *τὸ πόσον* spectandum est, in hac *τὸ ποῖον*. Itaque in illo Demosthenis (veluti de Cor. p. 260) *τὸ μέρος τῶν ψήφων ὁ διώκων ἐκ ἔλαβε* qui de vocabulo omisso *πέμπτον* cogitaverunt, articuli vim parum intellexerunt, quae *τακτὸν* potius, vel *δέον*, vel tale quid ut cogitemus, non ut substituamus, monet. Nam *τὸ ἄρθρον προϋφεσῶσαν γνῶσιν δηλοῖ*, ut docet Apollon. *περὶ συντάξεως* 1. 7. p. 34. Sic in altero Demosthenis loco p. 261: *τὸ μέρος τῶν ψήφων οὐ λαβὼν ἀπέτισε τὰς πεντακοσίας δραχμάς* articulus bis eadem significatione legitur. Neque pronomen possessivum vel distributivum omissum est, ubicunque in ipso articulo haec vis inest. Quotusquisque enim est qui si legerit: *διέβαινε καὶ ὁ Μιθριδάτης ἔχων τὴν δύναμιν* (Xen. Anab. III. 4. 3) vocabulum *ἑαυτῶ omissum* dicat, vel in hoc: *οἱ γονεῖς ςέργεσι τὰ τέκνα* intrudere gestiat *ἑαυτῶν*, vel in illud: *τρία ἡμιδαρεικὰ τῆ μηνὸς τῷ ςρατιώτῃ* (Xen. Anab. I. 3, 21) *ἑκάςῃ* et *ἑκάςῳ*? Ejusdem generis est illud: *ἐς τὸ βαλανεῖον βούλομαι*, quod Hermannus ab ellipsis nota recte defendit, quamquam cum eo verborum commutationem vel confusionem non magis quam ellipsin statuere audeo. Immo in ipso *volendi* verbo conjuncto cum praepositione *ἐς*, quae et ipsa motus localis vim complectitur, *tendendi*, vel, quum ad hominem res referatur, *eundi* notio est comprehensa. Similiter Xenophon An. V. 2. 16 dixit *ὁπόσες ἐδύνατο καιεκώλυσε ἔξω*, et VII. 7. 57 *οἴκαδε παρασκεναζόμενος* quae affert Krüger gr. gr. § 66. 1. 10.

Jam igitur ad propositum revertamur et ad ipsam de brevitatis variis generibus disputationem aggrediamur.

Ac primum quidem orationis verbosam integritatem vel simplicissimus sermo vitat, ubicunque aliqua necessitas, sive illa ex causarum continuatione fluxit, sive ex grammatica lege, ea quae omissa sunt, vel certe omissa esse videntur, supplere cogit. Habet hoc brevitatis genus id proprium, ut ex iis, quae dicuntur, ea quae omissa sunt, reficiantur nihil aliud quam repetendis substituendisve notionibus, et mutatione verbis adhibita nulla, aut certe grammaticas leges non excedente. Hoc genus *brachylogiam grammaticam* vocaverim, quippe cui replendae grammatica norma suppetat. Quo in genere manifestum est vel gravissima sententiarum verba omitti posse, quoniam vocabula hac lege suppressa parum molestiae et difficultatis exhibeant, ita ut in ambiguo relinquatur, omissane an latenter dicta recte habeantur. Jam si communem sermonis usum spectamus et utilitatem quam ad convictum humanum et collocutionem affert, primum liquet, ita comparatum esse hoc dicendi genus, ut omnes, quorum intersit intelligere, quae quis hac lege

loquatur nullo negotio intelligant. Deinde vero hic usus id emolumenti praebet, ut summa sententiae breviore verborum ambitu adstricta clarior appareat, neve distrahatur, infirmetur, refringatur languida vocum repetitarum, luxuriantium compositione. Quoniam vero brachylogiae grammaticae usus ejus generis sit, quod ex iis quae sermo praebeat subsidiis haustum et iis quas grammatica tueatur legibus fultum et munitum esse supra monuimus, quo quis uberiore et fecundiore est ingenio, eo latius brachylogiae usum et fines propagare, eo facilius novas hujus generis formas invenire poterit. In hoc enim quasi cardine vertitur omnis brachylogiae explicatio. Hoc igitur est, quod recte observavit Doederlinus (***Reden und Aufsätze***, Zweite Sammlung p. 170): *brachylogiae libertatem plerumque ipse sibi sumit scriptor, non consuetudinem popularium, sed suam ipse orationem pro interprete satis idoneo fore confidens.* Quibus verbis vir non magis eruditus quam acutus simul significavit, brachylogiam nonnunquam perrumpere artiores grammaticae limites, quibus nos supra brachylogiam grammaticam circumscribi diximus. Hunc tamen usum quamvis non possimus non agnoscere, ab illo tamen sejungendum et infra separatim tractandum censuimus.

Jam igitur aggrediamur ad totum quo brachylogia grammatica vagatur campum accuratius perlustrandum atque describendum.

Atque primum quidem distinguendum est inter eam brevitatem quae figurae ἀπὸ κοινοῦ nomine vulgo innotuit ceterasque hujus generis formas. Quum vero illud σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ quod veteres vocant a Phoebammone et Herodiano parum distincte describatur et parum copiose explicetur, nostro Marte certis terminis hanc brevitatis formam circumscribamus necesse erit. Ne tamen sine idonea causa nostram definitionem ad eas formas extendamus, quas incertum est utrum hac figura comprehenderint veteres, necne, subsistamus in artiore illa definitione, qua congruere videtur cum ea quam nostrates grammatici enunciationem contractam (*den zusammengezogenen Satz*) vocant, ut id solummodo ἀπὸ κοινοῦ appellandum sit, quod quum in altero enunciati inciso verbis expressum sit, in altero sit cogitandum, sive illa incisa paratactica sunt, sive hypotactica. At reliquae brevitatis formae, quae in enunciato simplici reperiuntur, magnam partem tantum non ejusdem generis sunt, quum aeque id, quod in altero si non inciso at certe enunciati membro verbis sit expressum, in altero supplere cogant. Has igitur formas, quamquam ad σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ proxime accedant, quoniam unius et simplicis enunciati limitibus continentur, separatim tractabimus.

Quae restant brachylogiae grammaticae formae et paucae sunt et quae parum difficultatis moveant. Est autem hujus generis id proprium, ut id quod ad grammaticam integritatem requirimus, non alius cujusdam vocabuli repetitione arcessatur, sed, aut quia ex praecedenti aliqua sententia intelligitur, aut quia ex ipsa eorum, quae dicta sunt, natura sua sponte consequitur, animo obversetur, ideoque non sit, quod proprio vocabulo exprimatur.

Ut autem de hoc ultimo genere primum loquamur, nisi in subjecto et objecto hic usus non fere reperitur. Subjectum autem sine brachylogia omittitur, ubicunque de eo agi ex antecedentibus patet. Sic plerumque in imperativis velut Hom. Od. XV. 263.; sic etiam in oratione continua. Apud Plat. Apol. p. 29 si quis legat: δοκεῖν γὰρ εἰδέναι ἐστὶν ἃ ἴσμεν οὐδὲ eum fugere non potest, de praecedenti subjecto τὸ θάνατον δεδιέναι, sermonem esse. Qui usus quum grammatica lege constitutus sit, brachylogiae non erit adscribendus. Neque haec ellipsis dici potest, primum quod ipsum nomen jam antea dictum sit oportet, deinde quod cum praedicati flexu illud subjectum quod loquentis animo obversatur concinere debet ideoque non prorsus abesse sed quodammodo dictum esse videtur.

Paulo aliter res se habet, si, praecedente infinitivo, non de certo aliquo subjecto cogitatur, ita ut animus ad τὶς vel *aliquis* substituendum inclinet. Quem usum cave cum Hermanno ad Viger. p. 869 ellipsis ope interpretari velis. Indefinita enim subjecti notio jam ex infinitivo praecedenti patet, in quo ut ellipsin statueret, nemini, quod sciam, in mentem venit; nihilo tamen minus ille infinitivus subjecto cogitato carere non potest. Ex quo efficitur, non magis opus esse subjecto apud sequens verbum repetito. Quum vero nihil obstet, quominus subjectum expresse adscribatur, brachylogia statuenda erit, si non expressum sit.

Exemplum apponam quo Hermannus usus est in commentatione de ellipsi et pleonasmo in Mus. ant. stud., quae anno 1808 prodiit et in novissima Vigeri editione anni 1834. Sophocl. Oed. tyr. 314. — — ἄνδρα δ' ὠφελεῖν ἀφ' ὧν
ἔχοι τε καὶ δύναιτο, κάλλιςος πόνων,
in cujus loci interpretatione cur H. sibi non constiterit, superiorique judicio suo et posteriori non consenserit in Oedipi editione, quae anno 1823 prodiit, neque intelligo neque hic curo. Plat. Men. p. 97. A. ἐκ ἔςιν ὀρθῶς ἡγεῖσθαι, ἐὰν μὴ φρόνιμος ᾖ. Respice etiam Apologiae locum, quem modo apposuimus. Cic. de or. 1. 8, 30. *Neque vero mihi quidquam — praestabilius videtur, quam posse — voluntates impellere quo velit, unde autem velit, deducere.* Neglecti illius τὶς vel *aliquis* rationem melius etiam perspicies, si eos locos contuleris, quorum structura sic est comparata, ut alia nomina etiam ex cogitato illo pronomine indefinito pendeant. Graeca affert Krueg. gramm. gr. § 61, 4, not. 6 veluti hoc Platonis: Αἰσχρὸν νενόμιςαι μὴ φάναι συμβουλεύειν, ἢν μή τις αὐτῷ ἀργύριον διδῷ. Cic. de amic. 17, *et judicare difficile est sane, nisi expertum;* ib. c. 16, *ita amare oportere, ut si aliquando esset osurus.*

Neque non huc pertinet frequens ille vocabuli *inquit* usus, quem multis exemplis ex Cicerone, Livio, Valerio Maximo, Seneca allatis firmaverunt J. Fr. Gronov. et Drakenborch ad Liv. XXXIV, 3, 9. *Quid honestum dictu saltem seditioni praetenditur muliebri? Ut auro et purpura fulgeamus, inquit.* In quo animadvertendum est, interrogatio praecedat necesse esse, ex qua alicujus hominis persona elici possit, ad quam illud *inquit* referatur.

Verba motum significantia cum praepositionibus vel adverbiis quietis item verba quiescendi cum adverbiis et praepositionibus motum significantibus conjuncta ejus generis sunt, ut verba movendi quietis inde provenientis notionem adverbiis commodent, ipsa ex adverbiis eas formas mutuentur, quas movendi notio, ipsis propria, postulat. Cui rei plerumque et verborum et particularum quum formae tum significationes prolixe se commodant. Sic ex ἐκεῖσε et ἐκεῖθεν facile ἐκεῖ elicias, ex παρὰ c. dat. παρὰ c. accus., ex εἰς ἐν et rursus retro ex hisce illa. Vide de hoc usu Doederlin. l. l. infima pag. 182 et Krueg. ad Xenoph. Anab. I, 1. 5.

Non bene autem quidam in ejusmodi locis hanc brachylogiam viderunt, ut Arist. Lys. 1122.
ἄνδρες Λάκωνες ςῆτε παρ' ἐμὲ πλησίον,
quum aoristus ἔςην quietis vim habere nequeat et male vertatur *ich stand* pro *ich trat hin.*

Contra εἶναι et praecipue παρεῖναι toties per se vim habent verborum *ortum esse, advenisse,* ut mirum non sit, si praepositionibus hujus generis jungantur, veluti

Soph. Trach. 301. αἳ πρὶν μὲν ἦσαν ἐξ ἐλευθέρων ἴσως
ἀνδρῶν, τὰ νῦν δὲ δοῦλον ἴσχουσι βίον.

Antig. 1167. — — ἐκ δὲ δωμάτων (Εὐρυδίκη)
ἥ τοι κλύουσα παιδὸς ἣ νύχη πάρα.

Phil. 56. ὅταν σ' ἐρωτᾷ, τίς τε καὶ πόθεν πάρει.

Sic apud Xen. Anab. I. 2. 2. *καὶ λαβόντες τὰ ὅπλα παρῆσαν εἰς Σάρδεις.* Ibid. c. 4, 2 sine praepositione manifesto adveniendi significatu legitur *ἐνταῦθα ἔμειναν ἡμέρας τρεῖς καὶ Κύρῳ παρῆσαν αἱ ἐκ Πελοποννήσου νῆες*, quoniam *καὶ* novam aliquam rem incidere significat in praecedens temporis spatium.

Huc aeque pertinent verba pendendi et similia cum *ἐκ* vel *ἀπὸ* conjuncta, sive quietis iis est, sive motus vis. Omnino hic usus tantopere nunc huc nunc illuc fluctuat ut nonnulla verba reperiantur, quae hanc ob causam in ipsa aut quietis aut motus notione sibi non constitisse videantur. In eam saltem opinionem adducimur, si comparamus hujuscemodi locos:

Soph. Ant. 987. *εἰς παλαιὸν θᾶκον ὀρνιθοσκόπον ἵζων*, et rursus:

Dem. cor. p. 262. *ἐκ ἐν Μεννχίᾳ ἐκαθέζετο*,

Ar. Vesp. 1188. *ἐγὼ δὲ τεθεώρηκα πώποτ' ἐδαμοῖ πλὴν εἰς Πάρον*, et contra cum cod. Rav.:

Ar. Lysistr. 1230. *μεθύοντες ἀεὶ πανταχῆ πρεσβεύσομεν* (Bekk. *πανταχοῖ*).

In enunciationibus etiam compositis brachylogia dicenda est, ubicunque demonstrativum omissum est. Quum enim omne relativum, et substantivae potestatis et adjectivae et adverbialis, quo referatur, habeat, necesse sit, integra et simplicissima quaeque locutio demonstrativum addere debet. Quod quum sponte plerumque intelligatur, apud Graecos, Germanos, recentiores Romanae originis populos, alias nationes, novae alicui distinctioni logicae ut inserviretur, in articulum abiit abjecta vi demonstrativa. Non rarius demonstrativum prorsus excidit, nullo desiderante. Quae res quum et usu et grammatica lege sancta sit, non habeo quod addam.

Leguntur autem etiam exempla, in quibus ex relativo non idem demonstrativi casus mutuandus sit, sed diversus. Veluti apud Cic. Nat. D. 3, 14. *Heraclitum non omnes interpretantur uno modo, qui quoniam intelligi noluit, omittamus.* Quod loquendi genus a brachylogia grammatica esset sejungendum, nisi certa aliqua lege grammatica teneri videretur. Nam quum demonstrativum sic omittere non liceat, nisi aut nominativo casu sit cogitandum, aut accusativo, hoc ideo sic comparatum esse patet, quod logica ratio facili negotio in verbo activo accusativum postulante vim passivam cum subjecti casu et rursus retro in passivo vim activam cum accusativo intelligat.

Ubi vero demonstrativi abjecti vestigia relicta sunt, ut in relativi assimulatione, brachylogia suo jure statuenda est. Huc etiam pertinet illud assimulationis genus, quo pronomina relativa cum particulis hypotheticis coaluerunt. Quod si melius deliberavissent viri docti, melius etiam saepenumero rei grammaticae consuluissent, veluti Matthiae, qui § 63 4 gram. gr. Thucydidis locum VII, 68 *καὶ νομίσωμεν ἅμα μὲν νομιμώτατον εἶναι πρὸς τοὺς ἐναντίους, οἳ ἂν ὡς ἐπὶ τιμωρίᾳ τοῦ προσπεσόντος δικαιώσωσιν ἀποπλῆσαι τῆς γνώμης τὸ θυμούμενον* quinque ultima verba, ut ex *δικαιώσωσι* pendent, ita etiam ad *νομιμώτατον εἶναι* referenda esse docet quum contra, si *οἳ ἄν* ad prima sua elementa redigatur et dissolvatur in *νομιμώτατον εἶναι τοῦτο, ἐάν τινες δικαιώσωσιν*, liqueat totam enunciationem relativam subjecti munere fungi apud praedicatum *νομ. εἶναι*. Si enim quaeras, qua de causa Graeci relativo in ejusmodi locutionibus usi sint, quorsumque retro respiciat relativum, nullam aliam hujus rei rationem et causam reperies, quam ut ex suppresso pronomine demonstrativo ortum esse et hoc quasi respicere illud relativum existimes. Sic integra verba primum haec esse debebant: *νομ. εἶναι τοῦτο, ὅτι (ἄν) τινες*. Inde demum relativum *ὅτι* sequenti pronomini assimile redditum transiit in formam *οἳ ἄν*.

Praeterea demonstrativum omittitur, ubi ejus vicem ipsa res sequitur, quam, si adesset, pronomen demonstraret, veluti post *αἴτιον δὲ, τεκμήριον δὲ, τὸ δὲ μέγιστον*, similia. In quibus

subjectum, quod abesse videtur, sequentibus verbis continetur, ut de ellipsi certe non sit cogitandum. Ne quis autem brachylogiam recuset, monet particula γὰρ frequens post illa verba, qua praecedentium causam vel explicationem his verbis, quibuscum γὰρ est conjunctum, contineri significatur. Itaque quum prima pars subjecto careat, altera vero non merum subjectum comprehendat, sed simul causam vel explicationem primae partis, fieri non potest, quin, ut orationis contextus et perpetuitas restituatur, ex posteriori parte subjecti notio eliciatur et apud praedicatum cogitetur.

Pergo ad eam brachylogiam, qua in simplici enunciato aliquod vocabulum, quum ad duas sententiae partes pertineat, apud alterum tantum expressum est, apud alterum cogitatione repetitur.

Ac primum quidem, quoties ad subjectum significandum eodem vocabulo utendum est, quo praedicatum expressum est, illud negligi solet. Cujus rei luculenta exempla attulit Doederlinus p. 171 sq. In Homeri tamen loco ὀλίγη δέ τ' ἀναπνευσις πολέμοιο Il. XI. 801 et XVI. 43. adjectivum propter locum quem occupat ita intelligere malim, ut plenam praedicati vim habeat: *brevis autem est respiratio in bello*, quae sententia utrique loco aptissima est. In loco Tibulli I. 3, 50 interpretando cum viro illustri stare non possum. Quod enim poeta dicit;

Quam bene Saturno vivebant rege — —!
Nunc Jove sub Domino caedes et vulnera semper,
Nunc mare, nunc leti mille repente viae!

id cum optimo quoque interpretum sic intelligendum: Nunc nobis belli et maris et mille alia pericula exorta sunt, quibus obruamur. Doederlini interpretationem: *Nunc mille aliae viae repente viae leti fiunt* impeditiorem quam feliciorem dixerim. Non enim animadvertit vir illustris, ex sua sententia et caedes et vulnera et mare *vias* dici, quas poeta aptissime *leti vias*, i. e. causas, modos, genera, dicere poterat. Cum Doederlino autem illud Ciceronis off. 3. 2. *Si discendi labor est potius, quam voluptas* ex subaudito subjecto, quod artiorem notionem laboris discendi postulat, quum praedicatum ampliorem notionem laboris praebeat, explicandum est, non ut Krüg. Gramm. lat. § 489 not. 4. docet ex attractione, qua infinitivus *discere* in gerundium transierit.

Quod genus brachylogiae quum Graecis Latinisque aeque usitatum sit, paullo aliter comparatum est, si pronomen subjecti locum tenet. Quod ubi usu venit, differt aliquantum latinus usus a graeco. Latinis non fere licebat pronomine generis neutrius uti, quoties praedicatum generis masculini vel feminini adesset, praeter paucos poetarum locos Terent. Andr. I. 2. 5 *Quid est, si hoc non contumelia est.* Ovid. Metam. II, 262 *Siccaeque est campus arenae, quod modo pontus erat;* alia exempla vix reperiuntur; nam Liv. II, 38 optimi libri praebent: *si haec profectio et non fuga est.* Drakenborch ad hunc locum omnia miscuit. Graecis aeque licebat dicere: ἐκεῖνός ἐστιν ἔλεγχος μέγιστος et ἀλλ' ἔγωγέ φημι ταῦτα φλυαρίας εἶναι Xenoph. Anab. I. 3, 18 vel Ἴωνες τάδε εἰσίν Thuc. VI. 77, 1 vel ἆρ' οὐχ ὕβρις τάδ'; Soph. Oed. Col. 883. Graeci vero manifesto inter utramque formam distinguunt, ita quidem, ut ubicunque neutro utuntur, singularem subjecti notionem generali praedicati notioni opponant, assimulatio autem utramque notionem aequali esse ambitu significet. Itaque ὕβρις τάδε ἐστὶ valet: *Haec in insolentiae genus cadunt;* ἐκεῖνός ἐστιν ἔλ. μέγ. valet: *hac re continetur maximum argumentum.* Itaque Latini et hoc et illud eodem modo dixerunt assimulatione constanter adhibita, atque quum parum facultatis iis esset ad praedicatum ubique justis notis definiendum, parumque diligentes essent in hisce definitionibus logicis sermone discernendis, brachylogiam etiam cum hoc loquendi genere conjungere consue-

verunt, quo factum est, ut hac in re facilius quam felicius in ambiguitatem quandam inciderent, cui ne significans quidem et mobilis verborum latinorum ordo satis ubique mederetur. De hac re conf. G. T. A. Krüg. gram. lat. § 298 et § 343, 1. Ejusmodi brachylogia haec est: Liv. 22, 7. *Haec* (pugna) *est nobilis ad Trasimenum pugna*, quod refingi jam non potest, ut aliquid simile nostro inde existat: *Dies ist die berühmte Schlacht am Trasimenus.* Neque in illo: *Haec* (vitia) *morum vitia sunt, non senectutis* Cic. de Senect. 18, 65. de nomine *vitia* cum solo pronomine componendo cogitare licet, ita ut *morum sunt* conjungantur, quamquam grammatica non obstat, veluti in illo: *omnia hostium erant* Liv. VI, 40 vel *Ars earum rerum est quae sciuntur* Cic. de or. II. 7, 30.

Praeterea et subjectum et objectum apud Graecos, ubi in praecedentibus jam nominatum est, constanter omittitur, nisi aliis ex causis aliquid momenti habet. Qua libertate quum in objecto supprimendo non aeque uti possint aliae nationes, ea certe quae apud Graecos trita erat brachylogia habenda est.

Prope abest ab hac ea brachylogia, qua Graeci idem objectum apud alterum quo referendum est verbum tantum ponebant, apud alterum cogitatione repetebant vel casu diverso, atque adeo cum praepositione conjunctum. Cui usui quum in lingua latina nihil loci sit, nisi quod poetae graecam structuram imitati sunt, si graecum morem spectaveris brachylogiam grammaticam, si latinum, rhetoricam dixeris.

Simili modo nonnumquam idem substantivum ex duobus nominibus simul pendet, veluti ap. Xen. An. V. 8, 1. *καὶ Φιλήσιος ὥφλε καὶ Ξανθικλῆς τῆς φυλακῆς τῶν γαυλικῶν χρημάτων τὸ μείωμα εἴκοσι μνᾶς,* in quibus *τ. γ. χρημάτων* genitivus objectivus est aeque ex *φυλακῆς* atque ex *μείωμα* pendens. Usus latinus rhetoricus est apud poetas tantum obvius. Quamobrem inferiore loco nobis erit tractandus.

Negationis ad duas partes in enunciatione simplici pertinentis exempla habes ap. Krueg. gr. gr. § 67, 8, 4. Brachylogia in illis exemplis utique agnoscenda est, quamquam participia ad subjectum verbi finiti pertinentia facillime una cum verbo aut affirmantur aut negantur. Durius exemplum ex Corn. Nep. attulit Doederl. p. 174. *Ipsum Pompejum conjunctum non offendit*, ubi objecti attributum simul cum verbo finito negatur.

Proprii aliquid habent nonnullae praepositones, quae quum addendi deducendive notionem induunt, ad sententiam, si grammaticam formam respicias, integram aliud quoddam membrum addunt, quod ut repleatur ad sententiae integritatem vel subjectum vel praedicatum vel denique objectum repetitum postulat. Cujus generis sunt praepositiones *praeter*, *cum*, *πλην*. Liv. VI, 35, 10. *Comitia praeter aedilium tribunorumque plebis* (comitia) *nulla sunt habita*, ibid. § 6 *nullo remedio alio, praeter intercessionem, invento.* Ubi sive sic legis, sive cum antiquioribus editionibus *invento* ejicis, ad intercessionem semper aliquod verbum repetas necesse erit. Aliud enim remedium patribus in promptu non erat; intercessionis remedium iis erat. Sic Graeci: *Θέμις ἔτ' ἦν, ἔτ' ἔστι τῷ ἀρίζῳ δρᾶν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον.* Hor. Carm. I, 19, 15

Verbenas, pueri, ponite, turaque
Bimi cum patera meri.

ibid. 24, 4 — — *cui liquidam pater*
Vocem cum cithara dedit.

Praepositio sic conjunctionis vice fungitur. Non raro vel in rhetoricam libertatem abit hic usus, veluti Hor. Carm. I, 1, 31 et aliis locis, quos ibi Dillenburger congessit, quamquam utrumque genus miscuit.

Restat ut aliqua dicendi genera brachylogiae notatione et quasi crimine eximamus et liberemus. Nam Doederl. l. l. p. 172, Mathiaeum secutus (gr. gr. § 634) *praedicatum* nonnumquam ex subjecto mutuandum censet. Mihi vero non persuadebunt viri docti, praedicati notionem subjecto inesse atque inde elici posse. Duo Herodoti loci, quibus nititur eorum sententia, multum abest, ut satis certa hujus rei documenta praebeant. In priori lib. VIII, 80. *ἴσθι γάρ ἐξ ἐμέο τὰ ποιεύμενα ὑπὸ Μήδων* animadvertendum est, inepti aliquid inesse in illa interpretatione: *Quae Medi fecere, a me facta sunt.* Sin *ἐξ ἐμέο*, ut convenit, *me auctore* verteris, illa explicatione non opus est, quum sensus sit: *Quae Medi fecere, a me profecta scias*, ut *ἐξ ἐμέο ὄντα* interpretari, quam praedicatum ex subjecto mutuare malim. Alter locus Herodoti VIII, 142 hic est: *ἄλλως τε τουτέων ἁπάντων αἰτίους γενέσθαι δουλοσύνης τοῖσι Ἕλλησι Ἀθηναίους ἐδαμῶς ἀνασχετόν.* Hic quoque *τουτέων ἁπάντων* cogitato *ὄντων* explicare praestat, quod aeque cogitandum est ap. Thuc. III, 82 *ἐκ ἂν ἐχόντων πρόφασιν ἐδ' ἑτοίμων (ὄντων) παρακαλεῖν αὐτούς*, coll. Xenoph. An. VII, 8, 12, *ὡς ἑτοίμων δὴ (ὄντων) χρημάτων.* Neglectis enim frequentis hujus usus exemplis, quae apud poetas leguntur, quid impedit, quominus *τουτέων ἁπάντων* absolute hoc sensu dicatur, quum non solum temporis notiones *τῆς μεσημβρίας, Ποσειδεῶνος μηνὸς*, alia, sed etiam *αἰθρίας, ἀπηλιώτου, ἢ βορέου, γαλήνης* legantur. cfr. Krueg. gr. gr. § 47, 2, 1.

Quod Doederlinus l. l. p. 175 cacophoniae tantum impatientia Latinos *colent inter se ac diligent* dixisse existimat, quum reciprocum *se* simul cogitari debeat, ei tantum abest, ut assentiri possim, ut vitiosum esse mihi videatur de supplendo pronomine cogitare. Quod autem vir summus huic sententiae indulsit, id inde fluxisse videtur, quod latinum usum cum nostro confudit. Nostrum vero: *sie lieben sich einander*, merus pleonasmus est, quum aeque dicere liceat, *sie lieben einander, sie wechseln einander ab.* Quo si nostrates homines utuntur, haud scio an nemo unquam de omisso objecto vel cogitare animum induxerit. Latinum autem *inter se* prorsus nostrum *einander* vi reciproca aequare nemini non liquet. Itaque iis libris manu scriptis qui Cic. Lael. 22, 82 *se colent inter se* exhibent, parum fidei habendum.

In eorum brachylogiae exemplorum numero, quae intra unius enunciationis fines ex aliquo vocabulo non idem quidem, sed aliud eadem radice ortum repetere cogunt, Doederlinus l. l. p. 177, ea habenda censet, quibus *singuli* vel *εἷς ἕκαστος* ita dicuntur, ut alios singulos simul intelligamus necesse sit. Recteque adscribi dicit ab interpretibus alterum illud vocabulum si verba sic intelligi, falso, si emendari voluerint. Cui ego rei non essem non assensurus, nisi non sic intelligi solum sententias, sed etiam cognata verba repeti et cogitari voluisset vir illustris. Est enim horum vocabulorum proprium, si quid video, ut per se, nisi aliud quoddam numerale distributivum addatur, singula cum singulis componi significent. Aliter enim pleraque omnia hujus generis exempla sensu carerent. Horatianum exemplum Carm. III, 11, 42. *Sorores, quae singulos* (maritos) *lacerant*, recte interpretatur vir doctus, *suum quaeque maritum*, sed neque ex hac brachylogiae explicatione id quod vult efficitur, *suum* quamque maritum interfecisse, neque alterum vocabulum cogitatione repetendum est. Immo ab hujus loci sententia abhorrere mihi videtur hoc explicandi genus, quoniam *singulae sorores singulos maritos lacerant* valeret, unamquamque unum aliquem maritum interfecisse, *jede einen Mann* non quod Horatiana verba volunt, vel quod aequo jure dici potuisset: *Singulae sorores maritos trucidant;* suum unamquamque trucidasse. Qui apud Liv. XL, 4, 2 *in viduitate relictae filiae singulos filios parvos habentes* ad sententiam interpretandam vel intelligendam vocabulum *singulae* necessarium habet, is eandem interpretationis normam

secutus ad *filios* nescio utrum *matrum* an *filiarum* cogitandum censebit. Ciceronis vero locum neque recte notavit, est enim de legg. II, 12, 29, non I, 2, neque animadvertit Doederl. ex oppositione ibi dictum esse: *Plures autem deorum omnium, singuli singulorum sacerdotes* cet., ut ne ipsum quidem scriptorem inspexisse virum eruditum suspicio incidat. Quid de Thucydidis loco statuamus II, 34 *λάρνακας κυπαρισσίνας ἄγεσιν ἅμαξαι φυλῆς ἑκάσης μίαν*, ubi alii libri *μία* legunt? Si *μία* legas, quot tribus tot plaustra sunt cogitanda, in quorum singulis vel plures vel singulae arcae ponerentur. Sin *μίαν* legas, significatur, quot arcae fuerint uniuscujusque tribus, tot plaustra unicuique fuisse subvehenda ad mortuos *suos* vehendos. Quod enim superest, binis vel denis plaustris singulas arcas esse vectas, id quis tam insipidus est ut cogitet? Quum autem *μίαν* vim distributivam non habeat, certe ad integram sententiam requiritur tale quid, quod non repetito *μία μίαν* sed *μίαν* (*λάρνακα*) *ἑκάςη* (*ἅμαξα*) cogitando expleverim. Denique Propertii locum IV. 11, 84.

Atque ubi secreto nostra ad simulacra loqueris
Ut responsurae singula verba jace.

optime interpretatus est Doederlin. *tanquam ad nullum non verbum responsura.* In quo quodnam verbum ex vocabulo *singula* repetere velit, prorsus non intelligo; singulis enim verbis ad singula Pauli verba se responsuram certe non pollicetur Corneliae umbra. Itaque ipsa Doederlini interpretatio brachylogiam refutat.

Pari modo brachylogiam pronominis *αὐτός*, ex quo reflexivum sit eliciendum, utique respuendam censeo. Omnes enim loci, quos ad hanc brachylogiam tuendam attulit Doederlinus, aliam explicationem postulant. Sic Iliadis locos I, 356, XIX, 89.

ἑλὼν γὰρ ἔχει γέρας, αὐτὸς ἀπούρας.
ἤματι τῷ ὅτ' Ἀχιλλῆος γέρας αὐτὸς ἀπηύρων,

explicat: „(*αὐτὸς*) h. e. *αὐτὸς ἑαυτῷ*. Alioquin enim *αὐτός* non modo abundaret, sed rebus modo narratis aperte repugnaret; nam qui *per praecones* aliquid abstulit, is etsi *abstulisse* dici potest, tamen *ipse* (h. s. sua manu) abstulisse non potest dici.“ At addito *ἑαυτῷ* pariter *αὐτὸς* et abundat et ceteris repugnat. Difficultates autem, quas vir doctus vincere conatur, ipse sibi paravit: *αὐτός* enim utroque loco non ex oppositione famulorum interpretandum, sed, Achille non consentiente, Agamemnonis ipsius vi et libidine factum esse, ut puella abriperetur, hoc vocabulo significatur. Haec vocabuli vis, qua *ultro* valet vel *sua sponte*, neque Homero insolita neque Atticis scriptoribus est, cfr. Il. I, 137. *εἰ δέ κε μὴ δώωσιν, ἐγὼ δέ κεν αὐτὸς ἕλωμαι* et v. 270 *καλέσαντο γὰρ αὐτοί*; XVII, 254 *ἀργαλέον δέ μοί ἐςι — ἀλλά τις αὐτὸς ἴτω*. Xenoph. Anab. VI, 4 (6) § 9 *καὶ αὐτὸς ἀχθεσθείς* et quam exemplorum copiam congessit Krüger in ind. ad Thucyd. s. v. *αὐτός* I. In Odysseae loco *πὰρ δ' αὐτὸς κλισμὸν θέτο* neglexit vir illustris medium *θέτο*, quum sexcenties in similibus *ἐτίθει* vel *παρέθηκε* legatur, si activa vi accipiendum sit, medium vero vim reflexivam servet, veluti Odys. II, 105 *ἐπὴν δαῖδας παρεθεῖτο*. Loci Sophoclei Phil. 691 explicatio, in qua Bunnckium, Buttmannum sequitur, incertissima est vel ideo, quod sequenti versu idem fere diceret chorus:

ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος, ἐκ ἔχων βάσιν,
οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα.

Magis etiam ab hac interpretatione abstinendum erat in Ajacis locis

v. 1099 *ἐκ αὐτὸς ἐξέπλευσεν ὡς αὐτοῦ κρατῶν*;
v. 1234 *ἀλλ' αὐτὸς ἄρχων, ὡς σὺ φῄς, Αἴας ἔπλει.*

quorum alter alterum respicit; *ἄρχων* enim explicatur verbis *ὡς αὐτοῦ κρατῶν* i. e. sui juris, ipse

imperium tenens, nemini obnoxius, quod τῷ ἀρχομένῳ opponitur Antig. 669 καλῶς μὲν ἄρχειν, εὖ δ' ἂν ἄρχεσθαι θέλειν. Αὐτὸς vero v. 1234 cum ἔπλει conjunctum explicatur verbis αὐτὸς ἐξέπλευσεν.

Neque magis comprobare possum eam sententiam, qua ductus D. graeci αὐτός, latini *ipse* significationem, qua μόνος valent, ex ambiguo brachylogiae usu, quam ex nativa voculae vi explicare maluerit.

Pervenimus ad grammaticum usum figurae ἀπὸ κοινοῦ, quae in eo ponitur, ut duae pluresve sententiae conjunctae quae communia habent verba non iterent, sed semel tantum ponant. Qua orationis contractione id consequimur, ut quae quamvis verborum notionumque conformatione separata et disjuncta sint, sententiae tamen unius et cogitationis vinculo continentur, cuncta uno animi quasi adspectu complecti possimus. Ac primum quidem animadvertendum est, figuram ἀπὸ κοινοῦ non solum inter enunciata aequa potestate grammatica reperiri sed etiam in subjunctivis enunciationum conformationibus. In enunciatis aequa potestate quaevis orationis pars utrique inciso communis in alterutro excidere potest: subjectum, praedicatum, attributum, objectum, eaque vel tota, vel pars tantum singulorum. Incisa variis modis juncta, et copulativis conjunctionibus et adversativis et disjunctivis, nec non ἀσυνδέτως composita, figuram ἀπὸ κοινοῦ admittunt. Vel singula vocabula vel plura duobus vel pluribus incisis communia hoc modo contrahere licet. Quodsi plura vocabula ad duas pluresve sententiae partes pertinent, haec aut qualibet ratione inter se cohaerere possunt, veluti Cic. Mil. 11. *Vim vi illatam repellere et ratio doctis et necessitas barbaris et mos gentibus et feris natura ipsa praescripsit*, aut aliena inter se esse, ut Cic. Phil. 13, 6 *Intelligitis Pompejo et animum praesto fuisse nec consilium defuisse.* Rursus quae singulis incisis propria sunt, aut inter se cohaerere possunt, velut in exemplo ex Philippica deprompto *animum praesto fuisse*, aut inter se aliena esse, ut in altero exemplo e Miloniana mutuato *ratio doctis.* Integra enunciatio communiter pertinere potest ad duo plurave enunciata integra velut Cic. Rosc. Amer. 35 *Ea si prodierit* et *quum prodierit (scio enim proditurum esse) audiet.* Ne vero quis me immerito hoc exemplum iis adjunxisse temere mihi objiciat, in quibus adjuncta, non subjuncta incisa componantur, *si prodierit* et *quum prodierit* aequa potestate esse mihi monendum puto. Simillimum brachylogiae genus est, si duae enunciationes relativae pari potestate ita conjunguntur, ut pronomen diverso casu, quam quo pronomen relativum semel expressum est, apud alteram sententiam repetendum sit, veluti Sall. Jug. 14, 16. *Si omnia, quae aut amisi, aut ex necessariis advorsa facta sunt, incolumia manerent, tamen* cet. cfr. Fabri notam ad h. l. Madv. ad Cic. fin. V, 9. Krueg. gr. lat. § 556 fin. Recte hunc usum Kritz ad Sallust. bell. Jug. 35, 3 ab ea audacia defendit, qua Fabri et alia nomina praeter pronomen relativum et ex subsequenti casu diversum casum ad praecedentia subintelligi posse putavit. Exempla graeca habes apud C. G. Krueg. gr. gr. § 60, 6 not. 1. Denique figura ἀπὸ κοινοῦ etiam in enunciatis vel laxius compositis, vel nullo nisi cogitationis vinculo conjunctis reperitur, ut ap. Xen. Anab. V, 1, 8 ἐπὶ λείαν γὰρ ὑμῶν ἐκπορεύσονταί τινες· οἴομαι ἂν βέλτιον εἶναι ἡμῖν εἰπεῖν (ὅτι ἐκπορεύσεται) τὸν μέλλοντα ἐξιέναι, φράζειν δὲ καί ὅποι (ἐκπορεύσεται) et apud Platonem Theaet. p. 152 a. οἷα μὲν ἔκαζα ἐμοὶ φαίνεται, τοιαῦτα μὲν ἔζιν ἐμοί, οἷα δὲ σοί, τοιαῦτα δὲ αὖ σοί.

Etsi consentaneum est non tam libere vagari figuram ἀπὸ κοινοῦ inter enunciationes principales et subjunctivas, tamen admodum frequens et varius hic usus est. Primum enim usu venit, ut logica enunciatorum potestas aequa sit, etiamsi grammatica ratio alterum alteri subjungat. Sic Cic. de orat. III, 52, 201. *Inter conformationem verborum et sententiarum hoc inter-*

est, quod verborum tollitur, si verba mutaris, sententiarum permanet, quibuscunque verbis uti velis. Cujus loci logica ratio docet, sententias pendentes: *verborum* (conformatio) *tollitur, sententiarum permanet* explicare sententiam principalem, *interesse aliquid inter verborum et sententiarum conformationem,* ideoque ejus potestatem adaequare. Sic apud Cornel. Nep. 13, 2 legentes: *Qui honos huic uni ante hoc tempus contigit, ut, quum patri populus statuam posuisset, filio quoque daret* (statuam populus), si offendimur eo, quod ex enunciato subjuncto, quamquam praecedente, et subjectum et objectum in enunciatione potiori repetendum est, illico intelligemus in conjunctione *quum* neque temporis logicam vim neque causae inesse, sed honorem in eo positum fuisse, quod *et* patri *et* filio statuam posuerit populus.

Inde non raro in enunciatis relativis ea supprimuntur, quae in enunciato principali praecesserunt, veluti Nep. Ages. 8. *Hic quum — venisset in portum, qui Menelai dicitur.* Eur. Med. 1162 (Musgr.) *Φίλες νομίζεσ' οὕσπερ ἂν πόσις σέθεν* (*φίλους νομίζῃ*). Xenoph. Anab. I, 3, 6 *ὡς ἐμοῦ οὖν ἰόντος ὅπη ἂν καὶ ὑμεῖς* (*ἴητε*), *ἕτω την γνώμην ἔχετε.*

Deinde in omnibus enunciationibus comparativis, sive paria componunt, sive imparia inter se contendunt, quae per particulas *ὥσπερ, ἤ, ὡς, ὡς ὅτε, οὐδὲν ἄλλο ἤ,* et quae latinae his respondent, conjunguntur, repetitio eorum verborum, quae enunciatione principali continentur, supprimi solet; cfr. uberrima exempla ap. Krueg. Ind. ad Xenoph. Anab. ed. germ. III. p. 326.

Proxime ab his porro absunt enunciationes hypotheticae quae praeter verba *εἴ τις, εἴπερ τις* (*ἄλλος*), *εἴποτε καὶ ἄλλοτε,* similia, reliqua omnia ex enunciato principali repetere cogunt. Sic denique nonnunquam adjectivum praedicativum ex enunciatione principali repetendum est, velut apud Platonem legimus: *Ποιητὴς ὁ ἔρως σοφὸς οὕτως, ὥστε καὶ ἄλλον ποιῆσαι* (*σοφόν*). Krueg. gr. gr. § 60, 7, 2.

Superest ut aliquot locos brachylogiae immerito, ut mihi quidem videtur, a Doederlino adscriptos apponam. Exposito enim, creberrime verbum aliquod protasi et apodosi commune in alterutra omitti (quam legem non dicam repudiatam, at certe numero et scriptorum genere restrictam velim), primum exemplum affert Platonis locum Phaedon. p. 82 a, quem cum iis, quae praecedunt, apponere juvat: *ποῖ ἂν ἄλλοσε φαῖμεν τὰς τοιαύτας* (*ψυχάς* ex longinquo arcessendum) *ἰέναι; — Ἀμέλει, ἔφη ὁ Κέβης, εἰς τὰ τοιαῦτα. — Οὔκουν, ἦ δ' ὅς, δῆλα δὴ καὶ τἆλλα, οἳ ἂν ἑκάστη ἴοι κατὰ τὰς αὐτῶν ὁμοιότητας τῆς μελετῆς;* In quo loco brachylogiam certe non possumus non agnoscere, quum tota sententia ex praecedentibus sit repetenda post *τἆλλα: ὅτι φαῖμεν ἂν τὰς τοιαύτας ἰέναι, οἳ ἂν* cet. Quod vero Doederl. dicit, ex *ἴοι* alterum quoddam *ἴοι* esse supplendum, id tanta obscuritate laborat, ut dixisset vellem, quibusnam verbis ista apodosis contineretur.

Deinde vexatissimum Sophoclis locum denuo expromit Doederlinus Oed. tyr. 328.

πάντες γὰρ ἐ φρονεῖτ'· ἐγὼ δ' οὐ μήποτε
τἄμ' ὡς ἂν εἴπω, μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά.

et sic explendum et struendum dicit: *ἐγὼ δ' οὐ μήποτε εἴπω τἄμα, μὴ, ὡς ἄν εἴπω, τὰ σὰ ἐκφήνω κακὰ ὄντα.* Quae explicatio, ut cetera taceam, miro modo verbum principale *οὐ μὴ εἴπω* non ex subjuncto enunciato (*μὴ ἐκφήνω*) elicere conatur, id quod profecto durum est et rarissimis exemplis firmatum (Eur. Or. 1037 *σύ νύν μ' ἀδελφὲ, μή τις Ἀργείων κτάνῃ.* Thuc. I, 82, 2), sed vel ex enunciato, quod secundo loco ex subjuncto illo pendet, atque adeo non antecedente sed insequente, id quod prorsus intellectum superat. Quanto melius Doederlinus rei consuluisset, si lectiones Sophocleas Martini mei inspexisset, annalibus scholae Posnaniensis anni 1832 prae-

missas, qui recte judicavit, verbis ἐγὼ δ' οὐ μήποτε μὴ τὰ σ' ἐκφήνω κακά unam solam enunciationem principalem contineri. Sic enim vertit: *Non sane ego unquam tua proferam mala facinora*, et pergit: τἄμ' ὡς ἂν εἴπω *(quod fiet) simulac mea vaticinia dixero.* Neque haerere debebat Martinus in repetito post interjectam sententiam temporalem μή, quod primo loco in μήν mutatum voluit. Neque Ellendtii interpunctione post τἄμ' et post τὰ σ' opus est, ceterum parum aptam conjunctionem verborum τἄμὰ κακὰ efficiente. Thucydidei loci VI, 38 interpretatio infirmissimis argumentis nititur. Quod enim Doed. cum Goellero vult, qui ὦμεν et ad ἐν τῷ παθεῖν et ad κακοί trahendum dicunt, hoc id offensionis habet, quod aut ex copula notionem verbi, aut ex vero verbo εἶναι, versari, copulam mutuare cogimur, quod quomodo fieri posset, exemplis demonstrandum erat. Ea enim quae Goellerus affert exempla huc non pertinent.

Ciceronis, Horatii exempla quorum primum par verbum et ad pronomen *quicunque* et ad enunciationem principalem trahit, melius suppressisset, primum quoniam non vera protasis et apodosis in hisce est agnoscenda, deinde quia omnis absoluta hujus pronominis vis ex simili verbi repetitione est explicanda.

Minus etiam ad hoc genus brachylogiae explicandum valet ille Horatii locus Carm. IV, 2, 5, quo Pindarus cum amne comparatur, quum inter omnes constet, quae alteriusutrius imaginis partis sint, in alteram partem aeque cadere. Itaque frustra se conficere virum doctum dixerim inquirentem, sitne *ruit* ἀπὸ κοινοῦ positum, necne. Plena enim oratio posceret: *Monte decurrens velut amnis fervet immensusque ruit, sic Pindarus fervet immensusque ruit.* Quod additum est *profundo ore* id suam imaginem habet in verbis *imbres quem super notas aluere ripas*, unde inexhaustae ubertatis dicendi et copiae notio exoritur.

Itaque ut meum de hoc brachylogiae genere judicium apponam, repetitio verbi subjuncti ex verbo principali aut sub trita illa praescripta brachylogiae grammaticae cadit, quae supra exposuimus, aut ubi majori cum licentia emergit, ad brachylogiam rhetoricam releganda est, sicut Propertii locus IV, 11 quem jure suo apposuit Doederlinus.

Uti brachylogiam grammaticam eam appellavimus, quae grammaticae praescriptis contineretur, ita eam, quae, spreta accurata ratione grammatica, animum impetu suo et perturbatione abripi magis, quam tranquillo et moderato judicio regi patiatur, aut sententiarum vi, orationis elegantia, magnificentia, numerositate hominum animos vel terrendo vel oblectando vel hortando commovere, vel etiam ad agendum adducere velit, *brachylogiam rhetoricam* dicimus, multis nominibus ab illa diversam. Ubicunque enim vocabulum ex altero ita eliciendum est, ut aut forma grammatica simul mutanda, aut ad aliam significationem transeundum sit, aut verborum ordo contra popularium consuetudinem ita inversus, ut orationis partes, sententiarum vinculo conjunctae, disjectae, contortae, confusae videantur, donec restitutis iis, quae omissa sunt, vocabulis, juste fluat oratio; quotiescunque impetus animi poëtae oratorive tantam vim addit, ut solo ordine verborum id efficiat, quod propriis vocabulis diserte exprimi debuisset, proprium hoc brachylogiae munus ab arte rhetorica mutuatum esse scriptorem intelligemus. Unde patet, utramque brachylogiam ex eodem quidem fonte esse repetendam, alteram tamen ab altera pro ejus, in quo versatur, campi ambitu sejungendam diversoque orationis generi adscribendam. Ut enim grammatica ars ad omnes omnium nationum scriptores pertinet, rhetoricam vero non fere nisi poëtae et oratores attingunt, sic brachylogia grammatica in omnium ore est omnibusque omnium ordinum hominibus trita, quum brachylogia rhetorica, prout scribendi genus postulat, prae ceteris peculiaris sit poëtis et oratoribus.

Videamus primum id genus quod non alicujus vocabuli repetitione explicandum, sed in eo ponendum est, ut et id, quod omissum est, ex iis, quae dicta sunt, intelligi possit, et in iis quae dicta sunt, certa supersint ommissorum vestigia, ex quibus non solum omissum esse aliquid liqueat, sed etiam unde requiratur.

Ex hoc genere primum zeugma in simplici enunciato commemorandum, veluti Cic. or. 4, 15. *Demosthenes frequens fuit Platonis auditor*, in quo cum frequentiae notione audiendi verbum discrepat, neque adest proprium vocabulum, quod locum indicet, quo frequentiae notio referatur, et quod simili loco de or. I. 57. 243 explicationis causa additum legimus: *frequens enim te audivi atque affui*, cfr. Quintil. Inst. 10, 5, 19, *frequens spectator*. Tolerabilior est haec brevitas in hisce: *frequens conviva, frequentem esse cum aliquo*. Quamobrem ejus generis brevitas in simplici sententia raro reperitur, quippe quae ex conjunctione cum proprio vocabulo quum zeugmatis occasionem nacta esse sit credenda, tum lucem et perspicuitatem capiat. Ubi igitur de rhetorico figurae *ἀπὸ κοινοῦ* usu loquemur, frequentioris hujus usus, utique apud Romanos, mentio nobis erit injicienda.

Huc etiam pertinet nota illa *constructio ad sensum* quam dicunt, a qua tamen eas locutiones prorsus excipiendas arbitror, quibus praedicatum generis neutrius vi substantiva accipiendum est, ut *Mors omnium rerum extremum est*. Cic. fam. 6, 21. Eur. Her. fur. 1295 *αἱ μεταβολαὶ λυπηρόν*.

Proxime abest a zeugmate ea translatio, quae metaphorae nomine increbruit, de qua locus classicus est inspiciendus cum exemplis appositis Cic. de or. III, 38, 155 seq. Intelliges enim ex iis quae c. 39 exposita sunt, quantum faciat metaphora ad dicendi brevitatem. Ex Graecis pauca exempla comparationis causa adscribo. Soph. Ant. 473. *ἴσθι τοι τὰ σκλῆρ' ἄγαν φρονήματα πίπτειν μάλιστα*. Oed. R. *φθονήσας μήτ' ἀπ' οἰωνῶν φάτιν, μήτ' εἴ τιν' ἄλλην μαντικῆς ἔχεις ὁδόν* Plat. Theaet. p. 151 e. *σκεψώμεθα (ὅ, τι λέγεις) γόνιμον ἢ ἀνεμιαῖον τυγχάνει ὄν*.

Quum autem zeugma rhetoricum metaphoramque grammatica nihil curet, alia sunt brachylogiae genera, quae artissime eam attingunt. Quod apud Horat. Car. I, 32, 15 legimus: *mihi cunque salve Rite vocanti* ab Lucretiano *quomque* admodum longe distat. cfr. Lucr. 2, 20. 2, 113. 5, 312. 6, 84. Quum enim omnibus illis locis *quomque* neque temporis neque modi definitionem sententiae addat, sed omnimo indefinitam eam reddat, ut nostrum *irgend*, quocum Graecorum *πῶ* concinere dixerim, apud Horatium manifesto ad temporis aliquam notionem pertinet. Itaque si quis hoc vestigium persequatur in participium *vocanti* eum incidere oportet, quo soluto conjunctio temporalis, non ea quidem, quam scholiastes vult, *quoties*, sed *ut*, *quando* exoritur, cui si subjungatur illud *cunque*, omnia bene in hanc sententiam decurrunt, *salve mihi, utcunque rite te voco*.

Haud dispari ratione pronomen personale ex praegressa persona vel pronominis possessivi vel verbi mutuantur poetae, veluti Hor. Carm. II, 2, 10

— — *quam si Libyam remotis*
Gadibus jungas et uterque Poenus
Serviat uni (tibi).

Ibid. II, 6, 7. (Tibur) *Sit meae sedes utinam senectae*
Sit modus lasso (mihi) *maris et viarum*.

In hujus brachylogiae numero etiam habendum est latinum *nescio qui et mirum quantum* sequente indicativo, graecum *θαυμαστὸς ὅσος* et alia ejus generis. Pronomina enim relativa sententiam aliquam suspensam ex praecedenti vocabulo pollicita, nihilominus neglecta hac sententiae

ex se suspendendae facultate cum praecedenti vocabulo in adverbii potestatem contrahuntur et cum tota sententia ita coalescunt, ut in graecis exemplis vel parti alicui sententiae assimulentur. Parem brevitatem agnosces in latino *nihil aliud quam*, graeco *οὐδὲν ἄλλο ἤ*. De quibus omnibus satis habeo ad exempla grammaticorum tirones delegare. G. T. A. Krüg. gr. lat. § 611. ann. 5. C. G. Krüg. gr. gr, § 51, 10, 12. Bernhardy synt. gr. p. 532.

Paullum distat ab hoc usu graecum *οὐχ ὥςπερ*, ut Demosth p. 49, 25 *τοῦ πάσχειν αὐτοὶ κακῶς ἕξω γενήσεσθε, οὐχ ὥσπερ τὸν παρελθόντα χρόνον εἰς Λῆμνον καὶ Ἴμβρον ἐμβαλὼν αἰχμαλώτους πολίτας ὑμετέρους ᾤχει ἔχων* et exempla Platonica ap. Bernh. p. 352 cum Homerico Od. *ω*, 199 ubi apud *οὐχ* eadem quae sequitur sententia excidit, hac fere forma in exemplo ex oratione Philippica sumto: *οὐκ οἰχησομένου αὐτοῦ ὥςπερ* etc.

Simili modo ex uno adverbio tota sententia elicienda est velut Horat. Carm. I, 2, 21 sq.

Audiet cives acuisse ferrum
Quo graves Persae melius perirent, cfr. Krüg. gr. lat. § 668.

Sic tota sententia excidit apud *γάρ*, praecipue ubi referendum est ad sententiam contrariam praecedenti enunciationi (*γὰρ ἄν*) vel in dialogo, ubi assensio aut negatio praecedentis sententiae cogitatione est praemittenda.

Non raro tota sententia omittitur, si alia quaedam sententia adest, quae omissae locum tenere possit. Quae lex quamvis secum pugnare vel potius se ipsa diluere videatur, quum quis sententiam aliquam omissam non recte dici existimare possit, dum alia adsit, quae illius locum repleat, tamen specie tantum absurda esse et inepta videtur, sed reapse ad cogitationis et sermonis naturam est conformata. Quum enim oratione aut id enunciemus, quod est, aut id, quod ingenii vi vel cogitando dicendove vel agendo effingere et efficere studemus; quum porro id, quod est, aut ita, ut est, exprimatur, aut, prout in quaque re facultates nostrae sensusque ferunt, ita animo concipiatur verbisque mandetur, quid simplicius est atque ad usum sermonis accommodatius, quam ut, ubi aliquid vel faciendum esse vel dicendum ex antecedentibus divinare liceat simulque ipsius rei, quae illa vel actione vel oratione contineatur, mentio sit injicienda, vividiore animi impetu ad ipsam rem transeat oratio, neglecta illa dicendi faciendive notione. Sic post protasin relativam vel hypotheticam, ubi dicendi faciendive verbum postulat apodosis, neglecta illa ipsa res ponitur. Hujus generis sunt multa exempla apud poëtas atque oratores obvia, veluti Hor. Carm. IV, 11, 14.

Ut tamen noris, quibus advoceris
Gaudiis; (dicam tibi:) *Idus tibi sunt agendae.*

Ovid. Metam. III, 377 ubi de Nymphae Echus origine narrat.

— — *Natura repugnat*
Nec sinit incipiat; sed quod sinit (eam facere), (id facit:) *illa parata est*
Expectare sonos, ad quos sua verba remittat.

Ibid. IV, 61 de Pyramo et Thisbe:

Sed vetuere patres (eos coire); *quod non potuere vetare*, (id fecere:)
Ex aequo captis ardebant mentibus ambo.

Similis usus est, si praecedente enunciatione relativa in subjecti vicem ipsa res sequitur. cfr. uberrima exempla graeca apud Krüg. gr. gr. § 51, 13, 13; § 65, 1 not. 6, exempla latina ap. Zumpt. § 627. G. T. A. Krüg. gr. lat. § 558, a.

His adjungenda sunt etiam illa oratorum graecorum: Demosth. Cor. p. 237. *Οὐ δ'οὕτω*

ταῦτ' ἔχει, λέγε μοι τὸ — ψήφισμα καὶ τὴν ἐπιστολὴν — ἐξ ὧν ἀμφοτέρων ταῦθ' ἅπαντ' ὑμῖν ἔσται φανερά. Jbid. p. 266. Ἵνα τοίνυν εἰδῆτε ὅτι —, λαβὼν ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα ὅλον τὸ γραφέν μοι. Quorum locorum priorem per alterum explicare vult Schäferus, hunc quoque ejusdem brevitatis signum exhibere in diversarum personarum allocutione (εἰδῆτε, ἀνάγνωθι) negligens. Immo prior ille locus habiliorem explicationis ansam praebet, quum ipse orator id, quod prioribus deesse sensit, postea seorsum dixerit: ὑμῖν ἔσται φανερὰ ἐξ ἀμφοτέρων. Haec igitur vera apodosis est post ἔχει cogitanda, ut in altero exemplo ante λαβών: κελεύσω ἀναγνῶναι ὑμῖν τὰ ψηφίσματα. Sic Jsaeus p. 185 ὅτι δ' ἀληθῆ λέγω, κάλει μοι τοὺς μάρτυρας. cfr. Dem. Cor. p. 265, 272, 273, 492 et saepe alias.

Diversa denique brachylogia est demonstrativi omissi, quo cum sequens relativum, cui vis hypothetica est, aut genere aut casu non convenit. Hom. Jl. η, 401. γνωτὸν δὲ καὶ (τούτῳ), ὅς (i. e. εἴ τις) μάλα νήπιός ἐστιν.

Huc etiam trahendus est Thucydidis locus, VII., 68, quem jam supra tractavimus, ut in universum in hac assimulatione brachylogiam inesse demonstraremus.

Jam pergamus ad eam brachylogiam, qua quamquam in simplici enunciato, aliquod vocabulum bifariam referendum est.

Ac primum quidem hic notanda est ea brachylogiae forma, quae nititur rhetorica ejusdem vocabuli geminatione utrique linguae sollenni, de qua acutissime exposuit Doederlinus l. l. 179 sq. Definit enim hunc usum his verbis: *Huic* (geminationi) *contrarium fuit breviloquentiae studium, cui dum obsequuntur, ex binis membris consulto cumulatis alterum omittebant. Sed, (quod probe notandum) ut superesset vestigium figurae rhetoricae, id membrum omittebant, quod magis necessarium videretur ad sententiam, aegriusque desideraretur, illud autem retinebant, quod, si integra relinqueretur enunciatio, supervacuum et ornatus causa additum foret.* Cujus definitionis ultima tantum verba omissa velim, non quod fieri posse negaverim, ut vocabulum abundans retinuerint veteres, quum necessarium omiserint, verum quia geminationem illam neque ludicri apud bonos scriptores quidquam habere et potius maximi momenti plerumque esse asseveraverim. Unde efficitur, ut ex magna exemplorum copia hac mente a Doederlino illustratorum multis locis simplicius explicando melius consulturi simus, quam si cum illo ex vocabulo nugatorio reliquo gravem aliquam sententiam elicere conemur. Sic Soph. Aj. 1254. μέγας δὲ (πλευρὰ) βοῦς ὑπὸ σμικρᾶς ὅμως
μάζιγος ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται.
ὀρθός nequaquam supervacuum est, si veterum utique consuetudinem respicias, qua ea vocabula, quae praedicato definiendo inserviunt, non cum praedicato, sed cum subjecto conjungere solent, veluti κακὸς ἑκὼν οὐδεὶς, vel ἐθελούσιοι καὶ χάριτος ἕνεκα ἐξιόντες; quod, si quid video, ideo factum est, ut arta conjunctio, quae inter diversas unius sententiae partes, subjectum praesertim et praedicatum, intercedit, quoad ejus fieri posset, congruentibus inter se verborum formis exprimeretur. Qua enim ratione significantius denotari potest, subjectum mutuo affici ea ipsa definitione, qua id, quod de eo praedicatum est, circumscribitur, quam si subjecti forma induenda quasi reflecti videatur subjecti actio. Itaque quum nostrates homines satis habeant dicere: *er geht gerade, richtig, auf den geraden Weg*, id quod veteribus non minus dicere licebat, ubicunque subjecto parum ponderis erat, ut Soph. El. 1099 Ἄρ' — ὀρθῶς δ' ὁδοιπορεῦμεν ἔνθα χρήζομεν; Theogn. 945 εἶμι παρὰ σάθμην ὀρθὴν ὁδόν, quotiescunque subjecto plus momenti tribuitur, secundarium illud praedicatum ex adverbii, objective forma ad subjectum transferebatur. Sic apud

Soph. Aj. 239 legitur *τὸν δ' ὀρθὸν ἄνω κίονι δήσας.* Hom. Od. I2, 178 *οἱ δ' ἐν νηῒ μὲ ἔδησαν ὁμοῦ χεῖράς τε πόδας τε Ὀρθὸν ἐν ἰξοπέδῃ.* Jb. 18, 240 *Οὐδ' ὀρθὸς δύναται σῆναι ποσί.* Contra minore cum vi Eur. Hel. 1449 *Ὀφείλω δ' οὐκ ἀεὶ πράσσειν κακῶς, ὀρθῷ δὲ βῆναι ποδί.* Et rursus summa cum vi Soph. El. 742 *Ὠρθοῦθ' ὁ τλήμων ὀρθὸς ἐξ ὀρθῶν δίφρων,* qui quomodo lusus supervacaneus dici possit, non intelligo. Quam ob causam *ὀρθὸς εἰς ὁδὸν πορεύεται,* per assimulationem et cum emphasi pro *ὀρθὴν εἰς ὁδὸν* dictum, non cum brevitate ludo aliquo rhetorico ex *ὀρθὸς εἰς ὀρθὴν ὁδὸν* contractum.

Perinde simplicior ratio longe praestat in interpretando Sophocl. loco El. v. 45.

λόγῳ δὲ χρῶ τοιῷδ', ὅτι ξένος μὲν εἶ
Φωκεὺς παρ' ἀνδρὸς Φανοτέως ἥκων.

Etenim si quis Phocensis in aliam quandam terram ab aliquo missus esse dicitur, eum et ipsum ex Phocide venire et a viro Phocensi delegatum esse patet, nisi aliud quid expresse dicatur.

Sic hujus breviloquentiae studio occaecatus non animadvertit Doederlinus apud Horat. Epod. I, 22 *non ut adsit auxili Latura plus praesentibus,* adesse illud *praesens* quod requirit ad sententiam explendam in verbis *ut adsit.*

Alium Horatii locum A. P. 101.

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adsunt Humani vultus

addito *flentes* explicari vult; recte, si loci vim et sententiam sic explicare voluisset, falso, quum verborum vim grammaticam explicare voluerit. Nihil enim ejusmodi supplendum, sed ex comparato *ut ridentibus arrident* intelligitur sequens *ita adsunt* h. e. *συμπαθῶς* humaniter cum flentibus vivunt neque eorum miserias a se alienas arbitrantur, quod vide quanto sit poetico sermoni accommadatius.

Sic brevitas quidem est agnoscenda in versu Hor. Carm. I, 2, 21 *Audiet cives acuisse ferrum,* sed non suppressit poeta, in quo cardo sententiae vertitur, *adversus cives.* Immo cum ea emphasi voce *civis* usus est, qua apud optimum quemque scriptorem legitur *civis meus, tuus.* Ut in Catilinaria I, 7, 17 *te metuunt omnes cives tui* cives civem metuere intelligitur, neque, si Catilina civis non fuisset, *cives tui* potuisset, sed *Romani* dicere debuisset, sic apud Horatium ex sequentis versus oppositione: *quo graves Persae melius perirent* majorem etiam vim assequitur illud vocabulum.

Quod supra jam monuimus, non minimi momenti esse brachylogiam ad varias et diversas sententiae partes uno aspectu comprehendendas, id luculenter etiam in ea breviloquentia apparet, qua Graeci post *ὡς, ὥσπερ* praepositione utuntur apud imaginem, non repetunt tamen apud ipsam rem, quacum comparatur; Plato Theaet. p. 170 B. *ὡς πρὸς θεοὺς ἔχειν τοὺς ἐν ἑκάστοις ἄρχοντας.* Duo enim incisa: *ἔχειν πρὸς τοὺς ἐν ἑκάστοις ἄρχοντας, ὡς (πρὸς) θεούς,* imagine in adjectivi praedicativi loco ponenda in unam et simplicem sententiam conflata sunt. Hunc esse hujus rei fontem docet locus Homeri Od. IV, 413 *λέξεται ἐν μέσσῃσι, νομεὺς ὡς πώεσι μήλων,* quum posteriores hoc verborum ordine servato praepositionem repetere soleant, velut Plat. *παρ' ἡμᾶς φοιτᾷ ὡς παρὰ φίλους,* quamquam etiam neglectae alterius praepositionis exempla leguntur. Isocr. pac. 161, e. Plat. rep. I, p. 330 c. Demosth. Phil. III, p. 127, 63. Cf. Bernh. Synt. gr. p. 204 sq. Krüg. gr. gr. § 68, 8. Nos sic non loquimur nisi postposita comparatione: *Er floh vor ihm als einer Pest.*

Graeci quum idem objectum ad duo verba aequae rectionis pertinens semel tantum ponerent, hanc consuetudinem etiam ad ea verba propagaverunt quae diversos poscunt casus; quin

etiam ex altero objecto cum praepositione conjuncto alterum accusativo casu subaudiendum relinquebant. Atque tantum apud eos pollebat hujus brachylogiae studium, ut ad hanc quasi regulam dicendi consuetudo dirigeretur. Longe secus Latini; quibus quum ex sermonis sui indole hac brachylogia uti non liceret, a Graecis hunc ornatum poeticum mutuabantur. Sic Hor. Car. II, 11, 11.

Quid aeternis minorem
Consiliis animum fatigas?

ubi ex eleganti verborum distributione recte concludas, ablativos non solum ad fatigandi verbum pertinere, sed etiam ex comparativo interposito pendere.

Id. I, 30, 3 — *et vocantis*
Thure te multo Glycerae decoram
Transfer in aedem.

Eandem explicationem poscit locus Hor. Car. I, 25, 7.

Me tuo longas pereunte noctes,
Lydia, dormis?

Qui enim facilius cum dormiendi verbo conjungitur et percommode accusativus temporis (velut Tibull. III, 6, 53 *Quam vellem tecum longas requiescere noctes!*), cum eo inclusum *pereunte* propter ipsum quem tenet locum esse conjungendum, non est quod moneam. Sic Car. I, 15, 14.

grataque feminis
Imbelli cithara carmina divides.

Qui de duplici hac rectione dubitaverit, eum et constans in hac re verborum ordo meliorem rationem edocere debet et Carm. I, 36, 6 *ubi oscula sodalibus dividi* dicuntur sicut h. l. *carmina feminis.* Adde elegantissimum et numerosum versum I, 9, 21 sq.

Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo

ubi genitivos ita dispositos vides, ut subjectum cum genitivo possessoris, praedicativum *proditor* cum genitivi objectivi attributo, quo verum prodendi objectum continetur, sint composita; *risus enim puellae prodit latere eam.* Adde Carm. IV, 13, 15 — *quae semel*
notis condita fastis
Inclusit volucris dies.

Ibid. III, 29, 26. — *urbi sollicitus times*
Quid Seres et regnata Cyro
Bactra parent Tanaisque discors.

Neque in simili loco Ep. I, 19 *Ut assidens implumibus pullis avis*
Serpentium allapsus timet
Magis relictis.

negaverim *timet* etiam dativum *pullis* respicere; sed cur Dillenburger *relictis* a participio *assidens* suspensum dicere maluerit, non video.

Ab hac brachylogia prope abest ea, qua infinitivus ex verbo finito eliciendus est et ad aliud quoddam verbum trahendus; ut si dicas; *jussus abiit*, ad jussus supplendum est *abire.* Sic Hor. Carm. I, 10, 7. *Callidum quidquid placuit* (sc. condere) *jocoso*
Condere furto.

Ibid. III, 6, 29. *Sed jussa coram*, (surgere) *non sine conscio*
Surgit marito.

Sic Epod. 1, 7. *Utrumne jussi persequemur otium.* Ovid. Her. II, 52. *Quaque jubentur eunt.* Sic etiam apud pedestris orationis scriptores, veluti Caes. bell. gall. III, 6. *Quod jussi sunt, faciunt.* Liberius etiam Virg. Aen. X, 444 *Et socii cesserunt aequore jusso.* Ovid. Fast. II, 338. *In loca jussa ferunt.* Sic apud Graecos et in simplici enunciatione et in composita: Thuc. I, 26, 1. οἰκήτορά τε τὸν βουλόμενον (ἰέναι) κελεύοντες. Ibid. II, 35, 2, ubi δηλοῦσθαι apud βούλεσαι καὶ ἐπίσχεσθαι repetendum. Xenoph. Anab. V, 6, 20 ubi omnes infinitivi post βούλησθε et ἐθέλοντα bis sunt cogitandi. Ibid. II, 6, 13 ubi post τεταγμένοι παρεῖναι αὐτῷ cogitandum est. Arist. Ran. 1. Εἶπω τι τῶν εἰωθότων (λέγεσθαι);

Non secus notio aliqua omittitur de qua scriptori non satis liquet, ita ut ejus vicem circumscriptione utatur. Dem. de cor. p. 231 ἡ τῶν ἄλλων Ἑλλήνων εἴτε χρὴ κακίαν εἴτε ἄγνοιαν εἰπεῖν, ad quem locum Dissen plura congessit, nec non latina, velut Cic. N. D. 1, 34. *Ista sive beatitas sive beatitudo dicenda est.* cfr. etiam Bernh. Synt. gr. p. 315.

Sed pergamus ad rhetoricum figurae ἀπὸ κοινοῦ usum. Cujus ut antea in simplici sententia, sic hoc loco in composita primum zeugma commemorandum est. Ex propria enim et singulari alicujus vocabuli notione nonnunquam ad alterum sententiae membrum elicienda relinquitur cognata notio generalis, velut ex incusandi verbo notio dicendi. Interdum zeugma etiam legitur, nonnulla tantum inter eam, quae expressa est, et eam, quae cogitatur, notionem similitudine intercedente. Denique usu venit, ut duorum incisorum commune vocabulum ipsum in alterutro diversa significatione accipiendum sit, velut Soph. Trach. 353 Εὔρυτόν θ' ἕλοι καὶ ὑψίπυργον Οἰχαλίαν. Hom. Il. XI, 328 ἑλέτην δίφρον τε καὶ ἀνέρε. Nota res, exempla ubique obvia. cfr. Bernh. synt. gr. p. 452 sq. qui usum graecum illustrat, ut Ciceronianum Ellendt ad II de or. libr. c, 57, 243. Attamen Doederl. l. l. p. 176 aliquot locos scriptorum latinorum ex finali ut comparativum ut repetendo audacius quam felicius explicare conatus est. Cujus sententiam recte, ut mihi videtur, respuunt Ellendt ad Cic. de or. II, 17, 73. Walther ad Tac. Agr. c. 20. Animadvertendum autem est, zeugmatis usum apud Graecos multo artioribus finibus, quam apud Romanos, circumscriptum esse. Graeci enim et hac et aliis figuris rhetoricis non fere utebantur, nisi si quando usus esset resque ipsa posceret, Romani, quum elegantiae rhetoricae studiosi, tum plerumque hujus studii sibi conscii, ingenium et verborum deligendorum scientiam ostentare solebant, id quod magis etiam figurae ἀπὸ κοινοῦ continuata contemplatio nos docebit.

Sicut superiore loco metaphoram in brachylogiarum numero posuimus, sic hoc loco de eo comparationum genere dicendum erit, quod graeco parabolae nomine innotuit, nec non ceterarum comparationum mentio erit injicienda, allegoriae, et ejus, quam nostrates homines παραλλήλου nomine a reliquis comparationibus distinxerunt. Quae quibus rebus concinant quibusque discrepent si paucis hic exponere conor, non nimis a re proposita aberrare mihi videor.

Omnis comparationis ratio et consilium in eo vertitur, ut rem reconditiorem et abstrusiorem similitudine alius rei, quae in promptu est, illustret et ante oculos ponat. Si vero rem rei tantum componas, nihil inde apparebit, nisi diversitas, nihil inde sequetur, nisi ut ab altera alteram multis nominibus discrepare intelligamus. Est enim et mirabiliter et sapienter comparatum, ut omnis similitudo discrimine aliquo nitatur, diversitatem dijudicare non possimus, nisi in quibus prius aliquam similitudinem vel aequitatem cognoverimus. Ita ad res diversas comparandas ii rerum vel affectus vel effectus accedant oportet, quibus inter se congruunt. Unde patet, necessarias uniuscujusque comparationis integrae partes esse quatuor: rem illustrandam, rem comparatam, quam imaginem vocamus et

quod de hac atque de illa praedicatur, quas rerum qualitates cum Cicerone dicemus. Haec est simplex et principalis *comparationis* forma, ex qua reliquae fluxerunt. Exemplum habes apud Cic. Rosc. Com. VI, 17). Ubi vero comparatio non consistit in binis rerum qualitatibus componendis, sed ad continuas earum series componendas transit, *comparatio παράλληλος* dicenda est. Quarum neutra brevitatis quidquam habet. Ubi vero neque res illustranda, neque ejus qualitates verbis exprimuntur, sed imago sola explicatur et depingitur illius vicem, *allegoria* statuenda est, quae non magis ad nostram disputationem de brevitate orationis pertinet, quoniam id quod abest prorsus non dictum est, neque cogitando, sed divinando suppleri potest. Ubi autem non ipsa res vel persona est illustranda, sed id tantum quod proprium habet, ibi et imago, ut omnibus nota et nullius momenti, reticetur, et rei qualitas illustranda, ut duae tantum ex quatuor comparationis partibus supersint: ipsa res et imaginis qualitas. Comparatio hoc modo contracta *metaphora* vocatur, quam Cic. de or. III. 39, 157 *similitudinis ad verbum unum contractam brevitatem, verbumque in alieno loco tanquam in suo positum* dicit. Itaque metaphora apud Soph. Oed. Tyr. 1200 sic fere erit replenda: *θανάτων δ'ἐμᾷ χώρᾳ (ῥῦμα) ἀνέξας (ὡσαύτως, ὥσπερ πολεμίων) πύργος.* et Cic. Ep. ad Fam. VII. 30. *ego — nisi me in philosophiae (tutelam sicut nauta in) portum contulissem* cet. Sic factum est, ut metaphora ex duarum sententiarum comparatione in unam quasi notionem contracta sit et coaluerit. Denique *parabolae* (*εἰκόνος*, imaginis) id est proprium, ut et res ipsa dicatur, et imago una cum iis, quae ad illustrandam rei qualitatem idonea habet, rei autem qualitas aut prorsus reticeatur, — velut in plerisque divinarum literarum parabolis, Matth. XIII. 24. *ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν ἐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι καλὸν σπέρμα ἐν τῷ ἀγρῷ αὐτῆ* cett. v. 31. *ὁμοία ἐστὶν ἡ βασιλεία τῶν ἐρανῶν κόκκῳ σινάπεως* cett. Hom. Jl. V. 522. *ἀλλ' ἔμενον, νεφέλῃσιν ἐοικότες, ἅστε Κρονίων Νηνεμίης ἔζησεν ἐπ'ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν,* cett., — aut uno verbo tantum strictim commemoretur velut Jl. XVI. 356 *ὡς δὲ λύκοι ἄρνεσσιν ἐπέχραον* cet. — *ὡς Δαναοὶ Τρώεσσιν ἐπέχραον.* Quae quum ita sint, non possumus probare Horatium, qui Carm. IV. 4, 42 comparationis partes ita permiscuit, ut gravissimum vocabulum, in quo tota comparatio vertitur, quod ex imagine lucem trahere debebat, quasi attractione aliqua in ipsam imaginem irrepserit. Hic est locus:

Dirus per urbes Afer ut Italas
Ceu flamma per taedas vel Eurus
Per Siculas equitavit undas.

Qui verborum ordo ne ea quidem licentia excusatur, qua poëtas latinos magna cum arte verborum latinorum ordinem immutasse, ne dicam perturbasse, infra videbimus. Simplex verborum ordo in re non dissimili ab Horatio servatus est Carm. I. 37, 17.

Quotiescunque in iis locutionibus, quas grammatico figurae *ἀπὸ κοινῆ* usui adscripsimus, simul verbi communis duplex aut significatio aut forma ad alterutrum incisum supplenda est, intra rhetoricae brachylogiae fines eas ingredi dicemus. Ac primum quidem hoc ita legitur, ut aliquod vocabulum ex antecedenti inciso diversa vel forma vel significatione apud subsequens incisum sit repetendum, ut Cic. Rosc. Amer. 29. 80. *Sectores collorum et bonorum* Hor. Sat. l. 1, 1. *Qui fit —, ut nemo —* sua sorte *— contentus vivat, laudet* (quisque) *diversa sequentes?* Xen. An. I. 9. 4. *Θεῶνται δ'οἱ παῖδες καὶ τὲς τιμωμένες ὑπὸ βασιλέως καὶ ἀκέσσι* (*τιμωμένες* sine articulo) *καὶ ἄλλες ἀτιμαζομένες.* Deinde vero etiam ex sequenti inciso aliquod vocabulum mutata forma vel significatione ad priora retrahendum est, veluti Cic. Planc. 10, 26. *Marium e civili ferro atque ex impiis manibus eripuerunt.* Demosth. Cor. p. 292. *ἐπειδὴ δ'ἃ τότε (ἔδειξας) ἀλλὰ νῦν δεῖξον,* cum ex-

emplis, quae Schaefer et Dissen ad hunc locum et ad p. 294 attulerunt. Verbum ex posteriori inciso a negatione dirimendum et apud prius repetendum nisi apud poetas Latinos et Tacitum non fere inveneris. Hor. Epod. 5. 87.

Venena magnum fas nefasque, non valeni
Convertere humanam vicem.

Tac. Ann. XII. 64. *Agrippina, quae filio dare imperium, tolerare imperitantem nequiverat.* XIII. 56. *Deesse nobis terra, in qua vivamus, in qua moriamur, non potest.* Hist. I. 8. *Vir facundus et pacis artibus, bellis inexpertus,* ubi Walther non recte *artibus* ablativum qualitatis habet.

Omnino ii loci brachylogiae rhetoricae adnumerandi sunt, quibus vocabula communia ex sequentibus ad praecedentia retrahere cogimur. De praepositionibus graecis hac lege supplendis egerunt Bernh. Synt. gr. p. 202 inf. Mehlhorn in annal. Gymn. Glogov. anni 1833 p. 7. De latinis Forbig. ad. Virg. Aen. V. 512. De adjectivis et adverbiis ex subsequentibus retrahendis Mehlh. l. l. p. 10. Particulae correlativae si in priori membro omissa dicuntur, plerumque correlativae non sunt neque brachylogia in iis statuenda, quum simplex *ἤ, ἄλλοτε, vel, aut,* aliae affirmativae, quin etiam *sive, εἴτε* etiamsi non repetantur, sententiam probe expleant. Verumtamen non raro etiam vis orationis et sententiae aliquam lacunam in priori membro arguit. cf. Mehlh. l. l. p. 8.

Ubi vero in posteriori membro particula correlativa excidit, sine summo animi affectu, qui orationis leges tantum non excedat, hoc fieri posse negaverim. Haec enim structura vi et efficientia superat asyndeton, quod quanti momenti sit in arte rhetorica, nemo ignorat. Sic. Cic. Qu. fr. 1. 3. 6. *Non hoc solum, multa alia praetermisi.*

Maximam autem facile vim haec brachylogia exercet, si duorum incisorum posterius tantum negationem habet, qua prius quoque negetur. Sic Thuc. VI. 55. VIII. 99. Soph. Philoct. 771. et quae Schaef. ad L. Bos. p. 777. ex Herodoto et poetis graecis, Doederlinus l. l. p. 174. e latinis attulit.

Proprii aliquid habet is usus figurae *ἀπὸ κοινοῦ*, quo id quod duabus sententiis commune est inter utramque sic collocatum est, ut ambiguum relinquatur, ad utram earum sit trahendum, ad utram cogitandum. Mehlh. l. l. p. 12. et Doederlinus l. l. p. 173., qui hoc *ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω* spectare appellat, solummodo de singulis particulis, adverbiis et negationibus, ita dispositis egerunt, quum hic usus multo latius pateat in nominibus, non singulis tantum, sed etiam ubi plura vocabula conjuncta sunt utroque spectantia. Sic Hor. Carm. I. 3. 5.

Navis, quae tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor.

Credendi et debendi verba se mutuo poscunt, ita quidem, ut id, quod ab altera parte creditur, debeatur ab altera. Eodem fere modo debendi et reddendi notiones sibi respondent, quum quod debetur etiam sit reddendum. Duplici hac oppositione ita usus est Horatius, ut primum verborum par, in unam notionem conjunctum, Virgilium tantum objecti loco habeat, alterum disertius explicet, qua conditione navis obligata sit. Itaque haec fere est plena sententia: Quum tibi creditus sit Virgilius ea conditione, ut eum incolumem finibus Atticis redderes, debes in conditione manere, itaque reddas eum incolumem finibus Atticis. Cum illis verbis si compares ea quae leguntur in Carm. I. 24 ad eundem Virgilium scripto, v. 11.

Tu frustra pius, heu, non ita creditum
Poscis Quinctilium deos!

prorsus eadem reperies sententiae membra cum hisce. *Quinctilium* enim ad utrumque verbum pertinet; verba *non ita* eam, qua illum Virgilius Deorum tutelae non commendaverit, conditionem comprehendunt, videlicet ut jam tum diem supremum obiret. Sic. Carm. I. 14. 15.

— — *Tu nisi ventis*
Debes ludibrium cave.

in quo loco interpretando non possum non assentiri Dillenburgero, qui *ludibrium* ad utrumque verbum referendum esse vidit. Quamquam non sine aliqua audacia hoc ab Horatio dictum esse perspicuum est, quoniam *ludibrium cave* non tam simpliciter conjunctum est, quam *cavere canem, periculum,* sed dictum est pro *cave ludibrio sis ventis, ventorum ludibrium fias.* Quae audacia rursus excusationem habet in praeteritis, quae etiam dicta sunt pro *nisi debes ventorum ludibrium fieri.* Ceterum *ventorum ludibrium* sic intelligendum, ut apud Lucan. VIII. 710. Pompeji navis *ludibrium pelagi* dicitur. Huc pertinet etiam Propertianum illud IV. 11. *At si quid dolituras eris sine testibus illis,* ubi inspicienda nota Hertzbergii. Non servato hoc ordine verborum Horat. dixit Carm. I. 39. 9. *Premant Calena falce, quibus dedit*
Fortuna vitem

Singularis brevitas conspicitur, ubicunque verbum aliquod faciendi declarandive in enunciatione intercalari non solum cum ea re conjunctum est, quam quis facit vel declarat, aut propter quam aliquid fit vel declaratur, sed etiam explicationis causa tota sententia ex illo verbo suspensa sit, ita ut grammaticae rationi consulturi idem verbum vel totam sententiam repetere cogamur. Primus F. Ellendt grammaticorum animos in hunc usum convertit ad Cic. de or. I. 2. 4. praeter alia haec exempla adscribens: Caes. B. G. I. 22. *Labienus, ut erat ei praeceptum a Caesare,* (praeceptum enim ei erat,) *ne proelium committeret, nostros exspectabat.* Cic. Tusc. I. 19. 44. *quodque nunc facimus,* (facimus autem hoc,) *ut spectare aliquid velimus, id multo tum faciemus liberius.*

Reliquum est, ut tirones moneamus, quam diversam vim habeat verborum ordo apud scriptores veteres in figura ἀπὸ κοινοῦ. Nam simplex verborum ordo, quatenus in eo constituendo grammatica cum logica arte concinit, hic fere est in contracto hoc dicendi genere: Quae communia sunt toti sententiae aut praecedunt ea, quae singula diversarum enunciationum membra leguntur, aut sequuntur aut denique includunt. Quo efficitur, ut quae diversarum sententiarum sunt, componantur neque dirimi debeant vocabulis, quae diversis sententiis communia sunt. Jam vero innumera exempla demonstrant, artiorem esse hanc legem, quam quae communi vitae et loquendi usui satisfacere potuerit. Neque tamen ideo ab illa lege omnem probam verborum ordinis existimationem proficisci debere negaverim, neque aliter nisi idonea de causa ea, quae conjunctionibus conjunguntur, vocabulis ab hac junctione alienis dirimi posse concesserim. Quas causas, prout cujusque et linguae et scriptoris quum facultas, tum ingenium fert, diversissimas esse facile intelligitur. Quamquam enim et Graeci et Latini principio illam legem accurate servaverunt, tamen Graeci, ut ingenii acie et celeritate abundabant, ita sermonis mollitia et facilitate adjuti in unoquoque et vitae et orationis genere lenissimum vel cogitationis vel animi motum oratione exprimere et poterant et studebant; Romanorum ingenium, acre quidem et strenuum agendarum rerum ad communem vitam remque publicam pertinentium, at inertius quum ad intimos sensus humanos interpretandos, tum ad studia, quae reconditis in artibus versantur, subtiliter persequenda, cohibeba-

tur etiam et impediebatur lingua contumacioribus legibus adstricta. Quamobrem quum verborum ordine liberius uterentur Graeci, Romani, ubi literis Graecis imbui coeperunt, tum demum et ipsi aemulatione incensi illa libertate uti, ne dicam abuti coeperunt. Ita factum est, ut, quod Graeci nativo cuidam desiderio et necessitati parentes in quolibet literarum et artium genere effingebant omni gratia et elegantia plenum, id apud Romanos tantum non alienae artis imitatio esse plerumque videretur. Facilitas enim Graecorum in verborum ordine invertendo, prout usus postulabat, apud Latinos in ornatum oratorium abiit. Quae consuetudo, quomodo primo sensim illata usque adeo postremo processerit, jam brevi demonstare conabor.

Ac primum quidem singulas diversarum sententiarum partes figura ἀπὸ κοινῆ conjunctas et Romanis et Graecis etiam per grammaticam et logicam interpositis vocabulis utrique communibus dirimere licebat, si prior sententia ante particulam conjunctivam absoluta esset, veluti: ποίῳ δικαίῳ χρώμενος Ξέρξης ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα ἐστράτευσεν, ἢ ὁ πατὴρ αὐτῆ ἐπὶ τὰς Σκύθας; vel: *Non est, inquit, in parietibus respublica, sed in aris et focis.* Licebat imprimis conjunctas partes dirimere interjecta copula vel simili vocula ad utramque pertinenti et priorem sententiam absolventi, velut: Ὁ πλεῖστον νῦν ἔχων μάντις τ' ἄριστός ἐστι, σύμβολός θ' ἅμα. *Negligere quid de se quisque sentiat non solum arrogantis est, sed omnino dissoluti.* Videlicet absoluta demum priore sententia altera animum ejus qui loquitur subiisse videri potest. Quod qanto magis negligentiae, quam arti dicendi et elegantiae studio tribuendum sit, tunc perspicitur, quum ipsius conjunctionis significatio sequentia magis postea assuta, quam praemeditata et in praecedenti sententia provisa esse indicat, veluti *atque;* quod Hand. Turs. ex *ad* et *que* ortum docet. C. Nep. VIII. 2. *Neque vero Thrasybulus non contemtus est primo a tyrannis atque ejus solitudo.* Hac fere licentia contenta substitit popularis latini sermonis consuetudo, quum Graeci, pro suo quisque sensu et ingenio, sicut aëre et luce, quibus fruebantur, liberrime dicendi facultate uterentur. Quem nativum graeci sermonis leporem imitati latini scriptores verborum ordinem aliquot figuris exornaverunt, quae quamquam non minime ad literas latinas expoliendas valuerunt, tamen nescio quid asciti habent et quaesiti. Itaque in Homeri loco Od. IV. 694. ἀλλ' ὁ μὲν ὑμέτερος θυμὸς, καὶ ἀεικέα ἔργα φαίνεται, quem Doederlinus injuria, ut mea est sententia, cum iis composuit, in quibus *ex binis verbis consulto cumulatis alterum omittitur*, quam ad praecedens θυμός ex insequenti ἀεικέα certo ἀεικής sit supplendum, brachylogiam rhetoricam statuimus propter diversum numerum et genus, non propter verborum ordinem. Latina vero hujus generis exempla, etiamsi syllepsis in iis nulla est, tamen rhetoricae brachylogiae adscribenda censebimus. Oratores et poëtae latini politiorem elegantiam judicabant, si singula sententiarum incisa vocabulis communibus dirimerent, etiamsi eam quam modo exposuimus excusationem non haberent. Itaque ante omnes pedestris orationis scriptores Cicero non subjectum solum, vel praedicatum ante subjunctivam particulam intrudit, sed quamlibet aliam orationis partem, sive post conjunctionem nihil sequitur nisi ultimum incisum singulare, sive hoc etiam communia aliqua vocabula sequuntur. Hujus usus exempla pauca apponam, eorum verborum, quae ad singulas tantum sententias pertinent, literis vel typis latius dispositis. Caes. B. G. III. 5. Vir *et consilii* magni *et virtutis.* Cic. leg. III. 13. 30. *Cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota civitas.* Tuscul. I. 1. 2. *Nam mores — nos profecto et melius tuemur et lautius.* Arch. IV. 7. *Data est civitas Silvani lege et Carbonis,* SI QUI cet. In Q. Caec. div. XV. 47. *Appuleium esse video — hominem non aetate sed usu forensi atque exercitatione tironem,* ubi *forensi* ad ultimum tantum ablativorum par trahendum

est. Verr. IV. 46. *Insula est Melita, satis lato ab Sicilia mari periculosoque disjuncta.* Ad Att. X. 4. *Horum ego imperatorum non modo res gestas non antepono meis, sed ne fortunam quidem.* De Or. I. 52. 226. *Non modo senatum servire posse populo, sed etiam debere.* De Fin. III. 2. 5. *Non tam rerum inventor fuit, quam novorum verborum.*

Hac verborum dispositione etiam explicandus est Horatii locus Carm. I. 25. extr.

Non sine questu
Laeta quod pubes hedera virenti
Gaudeat pulla magis, atque myrto;
Aridas frondes hiemis sodali
Dedicet Hebro.

Salmasius, eumque secuti Bentlejus, Orellius, Dillenburger *virenti* cum *hedera*, *pulla* cum *myrto* conjunxerunt, utpote quae epitheta perpetua essent. Utrumque epitheton iis valuit ἀείφυλλος, cui contrariae essent aridae frondes, quas Salmasius caducas intellexit. Verborum structura, si illos audias, sic inversa est, ut ad hunc simplicem ordinem redigenda sint verba: quod pubes magis gaudeat hedera virenti atque pulla myrto. Quod ad sententiarum conformationem attinet, alterum comparationis membrum immutatum dicit Dillenburger pro: *quam aridis frondibus.* Quae omnia interpretationis subsidia maximis difficultatibus implicata sunt. Primum enim *aridae frondes* non possunt dici earum arborum, quae quotannis folia abjiciunt, neque anus tremulae aptam imaginem praeberent. Deinde ex illorum virorum judicio adverbium *magis* a verbo suo divulsum alteri membro figurae ἀπὸ κοινῆς intruderetur, *atque* autem secundum locum teneret, quem verborum ordinem qua lege tueantur quum non videam, exemplis eum confirmassent vellem. Praeterea pullus color praecipue luctui pingendo inservit, ita ut parum idoneus videatur desiderio laetae pubis movendo. Denique immutatus comparationis ordo, alioquin admodum tolerabilis, hoc loco prorsus non ferendus est, quoniam fieri nequit, ut comparativus *magis* in tam conspicuo et insolito loco positus abundet. Missis igitur iis interpretibus, qui *atque* ex *magis* suspensum existimaverunt, quos Hand. Turs. III. p. 559. recte admonuit, vocabulum *magis*, nisi adjectivum ei adhaereat, cum *atque* non conjungi, jam quid ego de hoc loco sentiam, explicabo. Adjectivum *pullus*, ut proprie subnigrum colorem significat, sic a poëtis ibi praesertim adhibetur, ubi senectutis tristitia et funerum luctus laetae juventuti opponuntur. Quod si fit adhibita plantarum imagine, viridia folia ea dicuntur, quae recentia et colore e viridi pallenti cum juventute; pulla, quae vetustate perviridia et tantum non nigricantia cum senectute sunt componenda. Sic hoc loco hedera et myrtus virentes cum teneris puellis, pullae cum mulieribus aetate provectis, aridae frondes autem cum vetulis decrepitis comparantur. Verba *virenti gaudeat pulla magis* ad hederam et myrtum aeque pertinent; *virenti* ex *gaudeat*, *pulla* ex comparativo pendet; cujus rectionis exempla habes Carm. I. 13. 20. IV. 14. 13. Pedestris oratio hunc locum sic fere disponeret: *Laeta pubes hedera atque myrto virenti gaudet magis, quam pulla, aridas utique frondes Hebro dedicat.*

Longius etiam a simplici verborum ordine recessit Cicero, qui hujus elegantiae studiosissimus, primus, ut videtur, commune duabus sententiis incisum, si ex duabus pluribusve vocibus compositum erat, ita distribuere solebat, ut alteram partem cum primo inciso singulari, alteram cum *secundo conjungeret.* Sunt quaedam locutiones prae ceteris apta huic structurae, veluti infinitivus conjunctus cum verbis auxiliaribus *velle, posse, solere, videri,* deinde copula cum praedicato, praedicatum cum subjecto, verbum cum casu suo vel adverbio, quae omnia tam arto vinculo inter

se conjuncta sunt, ut, sicubi dirimantur, ea, quibuscum permixta sunt, maxima cum vi contineant et astringant. Exempla sunt haec Ciceronis: Off. II. 20. 69 *Quum in hominibus juvandis aut mores spectari, aut fortuna soleat.* Orat. 33. *Judicem me esse, non doctorem volo.* Senect. 58. *Philosophiam —, quae de maximis quaestionibus copiose posset, ornateque dicere.* De Or. I. 11. 48. *Qui — in jure et in judiciis possit, aut apud populum, aut in Senatu copiose loqui.* Ibid. *Neque enim — in his ipsis rebus satis calliđe versari, et perite potest.* Nat. Deor. II. 18. 47. *Quaeque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest.* Cluent. 20. 56. *Ipse iis neque defensoribus uti postea, neque laudatoribus potuit.* Sic etiam Ad Quir. 2. Fin. IV. 3. 6. IV. 19. 53. — Brut. 9. *Demostheni Hyperides proximus et Aeschines fuit.* Brut. 33. *Quam ille, diutius si vixisset, vel paternam esset, vel avitam gloriam consecutus.* — De Or. I. 11. 50. *Etenim videmus, iisdem de rebus jejune quosdam, et exiliter — disputavisse.* Fin. III. 20. 66. *Quod ni ita se haberet, nec justitiae ullusesset, nec bonitati locus.* cf. Fin. V. 4. 11. — Tuscul. I. 1. 3. *Homerus fuit et Hesiodus ante Romam conditam.* De Or. I. 2. 5. *Vis enim — aliquid iisdem de rebus politius a nobis, perfectiusque proferri.* Ib. I. 5. 19. *Quorum gloria nobis et dignitas cara est.* Fam. VI. 5. *Res et fortunae tuae quotidie faciliores mihi et meliores videntur.* Sic etiam Off. I. 23. De Or. I. 6. 20. I. 4. 13. Att. 11. 15. — Rariora aliorum scriptorum exempla haec sunt: Liv. XXVI. 17. *Ut ipsa paucitas, quum ad hostem silentio fallendnm aptior, tum ad evadendum per artas semitas ac difficiles esset.* Plin. paneg. 75. *Erant, quibus nec senatus gloriari, neque princeps possent.*

Reperiuntur praeterea nonnullae hujus figurae varietates, quae neque quidquam, quod majoris momenti sit ad hanc quaestionem illustrandam, habent, et omnem ex hisce, quas proposui, conformationibus lucem petunt et explicationem. Atque illa, quoniam liberius vagantur, neque in tam strictam legem rhetoricam abierunt, quamqum non ex nativa aliqua linguae latinae facultate orta, tamen minus ascita et consulto quaesita videntur, quam ea quae supra explicavimus. Cic. de Or. I. 10. 43. *Quae propria oratorum putas esse adjumenta et ornamenta dicendi.* Ib. 11. 45. *Vigebatque auditor Panaetii illius Mnesarchus et Peripatetici Critolai Diodorus.* Ib. 44. *Non id mihi videtur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate posse.* In quibus chiasmum animadvertas. Fam. III. 9. 3. *Tuis incredibiliter studiis erga me, muneribusque delector.* Verr. V. 58. 152. *Forum plenum et basilicas istorum hominum videmus.*

Neque vero his finibus et quasi terminis coercetur scriptorum latinorum licentia in vocabulis novo ordine disponendis. Immo jam Cicero eo audaciae processit, ut verbum aliquod commune utrique sententiae apud priorem supprimeret, posteriori vero ita adjungeret, quasi in priori neglectum non esset, vel, quod eodem redit, quasi non commune utrique sed ultimae sententiae proprium esset. Quum enim hoc vocabulum commune aut conjunctionem deinceps sequatur, aut ubi suffixam habeat, necessario cum ultimo inciso singulari conjungendum erit, atque, ut cetera membra communia aut apud utrumque singulare incisum cogitantur, aut apud prius dicuntur apud posterius cogitando repetuntur, sic commune membrum in secundo inciso collocatum apud priorem sententiam cogitando antecapi et praeoccupari debet.

Quem usum quum parum perspicerent, fuerunt, qui conjunctionem transpositam dicerent, veluti Heindorf ad Hor. Sat. I. 6. 43.; Wuestem., qui, quum ad eundem locum aliam sententiam prodiderit, ad II. 3. 157. in vulgarem errorem recidit; Krueg. gr. lat. § 533. 7. not. 2 textui subjuncta; Reisig lat. Sprachw. p. 414. quocum Haasius facit; Brockh. ad Tib. III. 6. 48. Alii, verum viderunt, veluti Gesner. ad Hor. Carm. II. 19. 28. Dissen. ad Tib. I. 1. 51. Naegelsbach.

Lat. Stilistik § 134. 4. Dissen autem, nescio quam ob causam, primum et proprie verba tantum ita interponi contendit, quamquam non negat, quod Zumpt. fecit, etiam alia vocabula sic usurpari et praeterea perperam a Tibullo eam verborum collocationem profectam credidit, quum Cicero, Sallustius, Horatius jam ea usi sint. Naegelsbachium non una res falsum habuit; primum enim hanc collocationem ex chiasmi studio profectam putavit, quae sententia, quamvis subtilis et ingeniosa sit atque ad veritatem prope accedat, propterea non est ferenda, quod et lubrici quiddam habet et pravi, si ex iis, quae dicta non sunt, qua *forma* cogitanda sint conjectare velimus. Veri autem simile aliquid habet haec sententia, quia plerumque vocabulum hac conditione omissum, non quidem juxta et ante consonum verbum repetendum, sed eo ipso loco, quo expressum est, bis cogitandum est. Haec omnium fere exemplorum ratio est, quae conjunctionem encliticam exhibent, veluti: *si plostra ducenta concurrantque foro tria funera.* Sicut supra exposuimus apud Horatium verba *Virgilium finibus Atticis* ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω spectare. Alia exempla sunt, quae neque hanc explicationem admittunt, neque chiasma, velut Hor. Sat. I. 4. 17. *Di bene fecerunt, inopis me quodque pusilli finxerunt animi.* Deinde Naegelsbach hanc rem nisi ex pedestris orationis scriptoribus non dijudicavit, quum apud poëtas multo latius pateat, ideoque ex illorum usu diligenter observando explicatio rei sit quaerenda. Denique sua opinione ductus commune utrique inciso vocabulum conjunctionem praecedat an sequatur non distinguit, atque ita diversissimas res miscet. Est autem, ut mihi videtur, ea hujus rei ratio: Membrum commune apud posteriorem tantum sententiam expressum retrahendum est ad priorem sententiam inchoatam necdum omnibus numeris absolutam et integram. Non enim supersedendum est repetita admonitione, brachylogiam ut alias, sic in hac figurae ἀπὸ κοινῆς forma nullam esse statuendam, nisi imperfecta aliqua structura adsit, quae omissorum verborum quasi desiderium moveat, brevitatemque in eadem sententiae sede inesse, quae defectus vestigia exhibet. Commune autem membrum sic collocatum vel verbum esse potest vel alia vox praedicativa, vel subjectum, vel attributum, vel objectum, vel adeo copula, conjunctio, vel denique ex pluribus vocibus compositum, veluti ex verbo cum praepositione, cum attributo, cum conjunctione. Exempla haec sunt:

1. Verbi. Hor. C. III. 4. 6. — *audire et videor pios*
errare per lucos.

cf. ibid. I. 11. 4. I. 30. 5. sq. II. 7. 23. sqq. II. 19, 31. sq. I. 2. 49. sq. I. 12. 26. I. 16. 3. sq. I. 27. 11. sq. Sat. I. 4. 67. I. 6. 42. I. 8. 2. II. 3. 157. II. 3. 183. Tibull. I. 1. 51. I. 4. 2. I. 8. 2. II. 6. 23.

2. Vocis praedicativae. Hor. Carm. III. 1. 12. *Moribus hic meliorque fama*
cf. ibid. II. 19. 27. sq. III. 4. 11. I. 8. 11. sq. I. 22. 5. sq. III. 11. 6 et 13. Epist. I. 1. 64. Sat. II. 3. 139.

3. Subjecti. velut Hor. Sat. I. 4. 115. Ajebat: *Sapiens, vitatu quidque petitu*
Sit melius, causas reddet tibi.

cf. Carm. IV. 6. 5. Tibull I. 2. 41. (in structura accusativi cum infinitivo) I. 6. 81.

4. Attributi, velut Hor. Carm. III. 26. 3. *Nunc arma defunctumque bello*
Barbiton hic paries habebit.

cf. Ibid. I. 2. 1. I. 5. 5 (ubi animadverte vim praecedentis substantivi in contrarium conversam) IV. 14. 4. Sat. I. 1. 83. et exempla genitivi attributivi Carm. IV. 2. 30. I. 17. 11.

5. Objecti, velut Tibull. I. 5. 34. *Huic paret atque epulas ipsa ministra gerat.* cf. Ibid. I. 7. 49. Hor. Sat. I. 4. 133.

6. Copulae, velut Hor. Sat. I. 3. 63. *Simplicior quis, et est qualem me saepe libenter*
Obtulerim tibi, Maecenas.

7. Conjunctionis, ut Hor. Sat. I. 4. 17. *Di bene fecerunt, inopis me, quodque pusilli*
Finxerunt animi.

8. Verbi cum praepositione, velut Hor. Carm. III. 25. 2.
Quae nemora aut quos agor in specus.

9. Verbi cum attributo, ut Hor. Carm. I. 1. 16. *Mercator metuens otium et oppidi*
Laudat rura sui.

10. Verbi cum conjunctione, ut Hor. Sat. I. 4. 107.
Quum me hortaretur, parce, frugaliter atque
Viverem uti contentus eo, quod mi ipse parasset.
cf. Ibid. I. 9. 51. Tibull. I. 3. 56.

11. Verbi cum relativo ut Hor. Sat. I. 6. 43. — — *magna sonabit*
Cornua quod vincatque tubas.

Jam pauca, quae reperi, exempla orationis pedestris adscribam: Cic. de Or. II. 75. 304. *Homines caros judicibusque jucundos.* Cic. Cluent, 63. 177. *Quum jam tortor, atque essent tormenta ipsa defessa,* Cic. c. Rull. II. 35. 95. *Ex hac copia atque omnium rerum affluentia.* Liv. 25. 14. 1. *Ad vallum ac fossas perventum est; sed cum multis vulneribus ac militum pernicie.* Sall. Cat. 35. extr. *Nunc Orestillam commendo tuaeque fidei trado.* Plin. paneg. 38. 2. *ut, quemadmodum in patris filius, sic in hereditate filii pater esset immunis.*

Denique quum in interrogatione duplici, vel si contrariam dicere libitum fuerit, alterum membrum sola negativa (*necne, annon*) compleri soleat, rarius aliquod primae interrogationis vocabulum apud alteram repetatur (ut Cic. N. D. I. 22. 61. *Quaeritur — sintne dii, necne sint.* III. 7. 17. *Dii utrum sint, necne sint, quaeritur*); hujus structurae invertendae copia Horatio facta est, ita ut aut totum praedicatum aut pars ejus in priori membro excideret, veluti Sat. I. 4. 45.

Idcirco quidam, comoedia, necne poema
Esset, quaesivere.

Ibid. v. 63. — *alias, justum sit necne poema*
Nunc illud tantum quaeram:

cf. v. 124. sq. — *An, hoc inhonestum et inutile factum*
Necne sit, addubites?

Jam vero convertamur ad ea brevitatis genera, quibus vocabula utique omissa esse recte dicuntur. Quorum quidem primum, *detractionis* vel *ellipsis grammaticae*, ut propter vagas reliquae breviloquentiae definitiones summas grammaticis quum vexationes tum confusiones movit, ita per se, quo est magis insigne et conspicuum, eo et subtiliorem postulat inquisitionem, et, sublatis erroribus vulgatis, faciliorem expeditioremque admittit definitionem.

Ac primum quidem ellipsis grammatica in eo maxime ponenda est, ut integri sermonis aliqua pars ita omittatur, ut in reliqua parte manifesta et expressa supersint vestigia, quibus et deesse aliquid appareat, et quaenam orationis pars absit. Jam vero utrumque apparebit ex iis verborum flexibus, qui et pendere hoc verbum ex alio quodam vocabulo omisso significant, et

quam vim et virtutem habeat illud, ex quo pendet quodque omissum est, in integrae enunciationis conformatione. Unde efficitur, ut eae tantum enunciationis partes hoc brevitatis genere omitti possint, quae et quatenus ea quae dicta sunt regunt. Sed de hac re infra pluribus verbis exponemus.

Nunc expedit huic quaestioni, ut demonstretur, unde ellipsi grammaticae perspicuitas exoriatur ad sententiam intelligendam necessaria. Quum enim neque ea quam brachylogiam grammaticam appellavimus, neque ellipsis grammatica proficiscatur ab animi quodam impetu, vel a voluntate ad hominum animos regendos commovendosve incitata, quae mirum quantum intelligentiam adjuvant, sed is, qui illis utitur modis dicendi, id solum spectet, ut ea quae loquitur intelligantur, verba autem non sint integra, quaeritur, quomodo mancus sermo ab auditoribus mente percipi, ne dicam quomodo ad vim sermonis augendam quidquam valere possit ellipsis figura? Grammatica quidem ratio nos docet, omissum esse aliquid, docet etiam, quaenam orationis pars omissa sit, sed non docet, quae notio omissa sit, neque quo verbo expressa esse deberet, si adesset. At auxilio venit nonnunquam ratio logica, qua duce vestigia notionis suppressae persequamur. Plerumque vero non satis prompta neque satis fida illa duce confidemus, ut cum certa aliqua notione, quam nobis illa suppeditaverit, verbi quoque certam formam et speciem habeamus; interdum etiam omnis spes in investigatione logica posita omissum vocabulum indagantes nos destituet. Quid enim? Si quis apud Nicomachum musicum legens: *Πυθαγόρας δὲ πάμπρωτος, ἵνα μὴ κατὰ συναφῆς ὁ μέσος φθόγγος — διαφορεμένην παρέχῃ μόνην τὴν διὰ τεσσάρων συμφωνίαν πρός τε τὴν ὑπάτην, καὶ πρὸς τὴν νήτην, — παρέθηκεν ὀγδοόν τινα φθόγγον, μεταξὺ μέσης καὶ παραμέσης ἐνάψας,* logicam consulat rationem, nullo quidem negotio intelliget, adjectiva illa *νήτη, ὑπάτη, μέση, παραμέση* ad varios diagrammatis sonos esse referenda, ad vocabulum *χορδή* eum ratio logica ipsa non perducet. *Ἡ φιλία* sitne *γῆ* cogitanda an *χώρα* logica ratio utique in ambiguo relinquit. Quid sit *τραγῳδῶν τῇ καινῇ* ap. Demosth. de cor. p. 244, generatim quidem ex praecedentibus verbis ejusdem accusationis, *τραγῳδοῖς καινοῖς*, percipitur; nominatim quodnam verbum generis feminini apud *τῇ καινῇ* cogitandum sit, *εἰσόδῳ*, an *ἐπιδείξει*, an aliud, prorsus incertum relinquitur. Omnibus illis autem (intelligi enim a Graecis, quid sibi vellent, et facili negotio intelligi necesse erat) lucem et interpretationem haud dubiam porrigebat *usus et consuetudo popularium;* quae quum nobis non ubique in promptu posita sint, fieri non potest, quin nos recentiores, veluti in illo Demosthenis loco, in divinatione logica interdum acquiescere cogamur.

Ex hac ellipsis vi et natura alia etiam res consequitur, quae non minimum valet ad hoc brevitatis genus a ceteris certissimis terminis distinguendum. Nimirum quae ex solo sermonis usu lucem repetunt, ea videlicet ex longa hominum popularium consuetudine profecta sint necesse est; sive cunctus populus veterem aliquem morem et communem consuetudinem sequebatur, sive singularum artium vel victuum sodales in iisdem exercitationibus versabantur. Hinc factum est, ut ellipticae dictiones Graecorum et Romanorum plurimam partem ex artium et disciplinarum scholis et palaestris, ex foris, rostris, theatris ortae sint. Hinc simul efficitur et cogitur, ut non cujusvis fuerit novis et inauditis usque adeo ellipsibus uti. Neque non liquet, hominibus barbaris eam licentiam minus etiam fuisse concessam, quum brachylogia, aposiopesi omnes pro suo quemque sensu et intellectu uti licuerit.

Quod vero supra monui, ellipsin non supprimere nisi eas enunciationis partes, quibus ea verba quae expressa sunt regantur, non possum ad hunc locum exponendum accedere, quin

G. Hermanni sententiam non dicam refutare, sed corrigere certe et supplere coner, quaestionemque illam, quoad ejus fieri possit, accuratius exponam.

Etenim Hermannus in commentatione de ellipsi et pleonasmo cap. III. tres tantum enunciationum partes ratas habet: subjectum, praedicatum, copulam; esse enim *debere* dicit, et de quo quid dicatur et quod de eo dicatur, et denique etiam dici revera aliquid de aliquo *necesse esse*. Jam patet eum praeter consilium suum et voluntatem de necessariis tantum uniuscujusque enunciationis partibus locutum esse, quibus nulla sententia carere possit, non de iis quibus praeterea uti possimus et in plerisque omnibus sententiis re vera utimur. Haud quidem me fugit, non memoriae lapsu aut vitio acuminis factum esse, ut attributum, objectum silentio praeterierit, verumtamen mox videbimus, quam parum aptum sit illud placitum grammaticorum, quo attributum subjecti, objectum praedicati *partem* dicunt, ad ellipsis vim et naturam accuratius definiendam. Itaque Hermannus et subjectum et copulam omitti posse, praedicatum per ellipsin nullo pacto omitti posse statuit; deinde singula verborum genera ab ellipsi excludit: adjectiva propter insitam vim praedicativam; adverbia, praepositiones, conjunctiones, utpote quibus praedicata quaedam (?) et rerum inter se cogitationumque variae rationes significentur. Denique non satis constans sibi verbum omitti posse concedit, quod ex copula et praedicato compositum sit. Quibus omnibus quamquam ingenii Hermanniani acumen post tantam harum rerum perturbationem non minimum ad hanc quaestionem illustrandam contulit, tamen veram ellipticarum dictionum rationem ad liquidum non perduxit. Quid enim de objecto censeamus non docemur; utrum ab ellipsi exclusum sit propterea, quod subjecto aliquatenus sit oppositum, ideoque omissionis aeque particeps fieri non possit, an propterea quod cum praedicato quasi coaluerit, quod utique ipsum omitti potest? Quid particulae cum praedicato commune habeant quod ellipsi obstet, non magis illustratur. Itaque aliam enunciationis describendae viam ingrediamur, quae nos doceat, ad quas enunciationis partes usque pateat ellipsis licentia.

Omnis enunciatio continetur variis verborum inter se rationibus, quibus principio bina vocabula conjunguntur. In quorum numero consentaneum est primario loco subjectum cum praedicato conjunctum habere. Quorum utrumque cum altero aliquo vocabulo alia quadam ratione conjunctum esse potest, ita ut duo inde nova verborum paria exoriantur, aliis duabus rationibus conjuncta. Singulis quae accesserunt vocabulis rursus cum aliis vocibus aliqua ratio intercedere potest, prout sententiae ubertas et copia postulat. Ita fit, ut omnis enunciatio, ut est ejus amplitudo et conformatio, in aliquanta, ut ita dicam, vocabulorum paria dissolvi possit, quorum unumquodque ratione aliqua sit conjunctum. Variae autem illae rationes hac una re inter se congruunt, quod alterutrum vocabulum alteri subjicere videntur, ita ut hoc ex illo pendere grammaticis dicatur. Sic praedicatum et attributum ex subjecto, objectum ex praedicato pendere grammatici docent; neque injuria, quoniam cujus vocabuli momento et vi aliorum vocabulorum flexus et inclinationes fiunt, quodque praescribit quasi et constituit, quae forma aliis vocabulis sit induenda, id recte illa regere grammaticis dicitur, quippe quibus imprimis formae ratio sit habenda.

Hactenus grammatica duce uti satis habebamus. Jam vero quum experientia edoceamur, non Graecos et Romanos solum, sed reliquos etiam omnium aetatum populos eam ellipsis normam et regulam sequi, ut ex singulis verborum paribus quae certa aliqua ratione grammatica conjunguntur eam ipsam partem omittere liceat, cui grammatici plus ponderis et momenti tribuunt, altera pars, quae, si grammaticos audias, illi sit subjuncta, nullo pacto omitti possit, elli-

psis autem natura cum hoc grammaticorum placito pugnare potius quam ex eo lucem lumenque nancisci videatur, ad subsidia ex arte logica repetita confugiendum erit. Neglecta igitur ad tempus verborum forma, sententiae et notionum nobis habenda ratio erit diligenter.

Atque primum quidem inter omnes constat, omnem cogitationem esse repetendam ex conjunctione notionis generalis cum singulari notione, atque ita quidem ut generalis notio singularem in se recipere videatur. Haec cognoscendi actio et forma cogitatio vocatur; ubi verbis expressa est, sententia dicitur. Generalis vero notio praedicato continetur, singularis subjecto. Sic jam inde ab Aristotele a logicis traditum est, veluti Categ. V. *Ἔτι αἱ πρῶται οὐσίαι* (notio primaria vel substantia) *διὰ τὸ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν* (*ταῖς δευτέραις οὐσίαις* dicit) *ὑποκεῖσθαι καὶ πάντα τὰ ἄλλα κατὰ τούτων κατηγορεῖσθαι ἢ ἐν αὐταῖς* (leg. *ταύταις*) *εἶναι διὰ τοῦτο μάλιστα οὐσίαι* (*πρῶται*) *λέγονται. ὡς δέ γε αἱ πρῶται οὐσίαι πρὸς τὰ ἄλλα πάντα ἔχουσιν οὕτω καὶ τὸ εἶδος πρὸς τὸ γένος ἔχει. ὑπόκειται γὰρ τὸ εἶδος τῷ γένει. τὰ μὲν γὰρ γένη κατὰ τῶν εἰδῶν κατηγορεῖται, τὰ δὲ εἴδη κατὰ τῶν γενῶν οὐκ ἀντιστρέφει.* Copula autem significatur ipsa hominis cogitantis actio, qua singularem subjecti notionem in generali praedicati notione inesse vel ad eam pertinere vidit.

Itaque quum haec sit ratio logica quae inter subjectum et praedicatum intercedit, ut generalis praedicati notio singularem subjecti notionem ad se pertinentem in se recipiat, consequitur inde, ut praedicatum, si logicam virtutem spectes, majoris momenti sit, quam subjectum, primum quod notionem comprehendit generalem, deinde quod copulae flexionisve ope verbalis subjecti formam simul complectitur. Quem cogitandi effectum magis etiam confirmat et testatur usus, quo major sententiarum numerus apud Graecos Romanosque legitur, quarum subjectum proprio verbo nullo, ne pronomine quidem, expressum sit, quam earum, quae subjectum nomine substantivo plene significent. Sic non apud solos Graecos et Romanos omnis enunciatio imperativa subjecto suo nomine expresso caret, veluti: *Ἤλεγε ἢ σιγὴν ἔχε. Ἀποκρινέσθω καὶ μὴ θορυβείτω.*

Verumtamen praetermittere non possum, quin de summo hujus rei testimonio pauca addam, quo insita animi indoles testatur, in praedicato positam esse illam vim, qua subjectum et praedicatum in unam et solidam cogitationem cogatur: accentum logicum dico. Ut enim metrorum singulae morae, modulorumve singuli soni, vocumve singulae literae et syllabae in unum vel pedem, vel verbum coguntur vi arsis metricae vel prosodiacae, quae iis moris, sonis, syllabis inhaeret, quae in tota serie praepolleant et dominentur, eamque continere, regere videantur; ut in metricis vel duo pedes ita in dipodiam coalescunt, ut alteri majus quoddam momentum impertiatur, quo alterum sibi subjiciat, amboque pedes ad unitatem quandam redigat; ut denique omnes illi accentus a spontaneo quodam animi impetu et a communi naturae sensu proficiscuntur; sic ea ratio quae est inter subjectum et praedicatum, in arsi logica apparet et praedicatum vivae vocis sono premit.

Quam rem qui experientia tentare velit, is in simplicissimis exemplis periclitetur, veluti in his Ciceronianis: *Verae amicitiae sempiternae sunt. Percontanti ei dictum est, clypeum esse salvum. Omnia praeclara rara.* Vel in his Sophocleis:

Ἀλλ' ἔς ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία.
ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα. —
τέθνηκ' Ὀρέστης. ἐν βραχεῖ ξυνθεὶς λέγω. —
Ἀπωλόμην δύστηνος, οὐδὲν εἰμὶ ἔτι. —

Quod autem non raro subjectum fortiori vocis sono premitur, id eum non obturbabit, qui

reputaverit, fortiorem etiam sonum ex rhetorica sententiarum oppositione, comparatione, relatione proficisci, de quibus disertius agere alienum est ab hujus quaestionis consilio; conferatur tamen aliquod exemplum, veluti verba Orestis in Soph. El. v. 25.

Ὥσπερ γὰρ ἵππος εὐγενὴς, κἂν ᾖ γέρων
ἐν τοῖσι δεινοῖς θυμὸν ἐκ ἀπώλεσεν,
— — — ὡσαύτως δὲ σὺ
ἡμᾶς τ' ὀτρύνεις κ. τ. λ.

et v. 39. σὺ μὲν μολὼν, quibus respondet v. 51. ἡμεῖς δέ.

Jam transeamus ad reliquas enunciationis conjunctiones ex logica potestate aestimandas. De quibus, si eos audias, qui enunciationes ex solo subjecto et praedicato constare tradunt, nihil novi animadvertendum est et diversi ab illa ratione, quae inter subjectum et praedicatum intercedit. Imo vero tantum abest, ut eae notiones, quas subjecti et praedicati partes agere vidimus, ubi primum ex praedicati in attributi locum, ex subjecti in objecti locum transierunt, eadem et grammatica et logica potestate utantur qua antea usi sunt, ut prorsus contrario munere fungantur.

Ac primum quidem attributum copula destitutum neque jam generalis notionis vim habet, neque cognoscendi et cogitandi actionem exprimit. Qui dicat: *hic vir est bonus*, se intellexisse profitetur, hunc virum bonitatis notione comprehensum esse. Sin dicat: *hic vir bonus*, ex universa hujus viri natura unum illud bonum exhibet, virique imaginem hac singulari notione ita circumcidit, ut de hoc viro nihil praedicare liceat, quod ad alias tantum ejusdem viri qualitates pertineat. Itaque intelligitur subjecto cum attributo eam esse rationem, ut unam solam notionem exprimant ex integra subjecti notione ad attributi modum et potestatem circumcisam. Unde efficitur, ut subjectum, quamvis sit notione latius patente, tamen quia attributo limitatur et circumscribitur, ut praedicato subjectum esse vidimus, sic etiam attributo sit inferius, quod ad logicam potestatem attinet.

Jam vero ne in tanta grammaticarum rationum varietate admirabilem omnium orationis partium concentum et cognationem parum intelligere videamur, mentio nobis erit injicienda sententiae vel in attributo latentis. Facile enim intellectu est, attributum vim habere nullam, nisi quam ex praedicati munere, quo antea functum esse oportet, sibi servaverit. Primus enim et principalis attributi locus is est, quo cum copula conjunctum judicio et sententiae enunciandae inservivit. Ubi vero cogitandi actio est absoluta et judicium inde ortum in memoriae quasi horreum repositum, tum demum, copula, quippe quae cogitandi tantum actioni inserviat, resecta, omnis sententia in unam solam notionem contrahitur et praedicatum attributi formam induit. Ex quo colligi potest, quanta potestas attributo ex praedicati quasi hereditate obveniat.

Quam ob rem eadem vis, quae acuendo praedicato, quae sit pars major in duabus notionibus ad unam cogitationem conjungendis, significat, attributum vocis ictu premit. Quam rem ut exemplis experiamur quum propter frequentiam exemplorum vix opus sit, tum aliquid ambiguitatis habet, quia multa exempla leguntur, quibus attributum vocis sono nequaquam anteferri appareat. Sunt autem haec exempla fere omnia ejusdem generis, quod tantum abest ut regulam attenuare possit, ut magis etiam eam confirmare videatur. Quod enim diximus, attributum cum subjecto in unam solam notionem coalescere, id epitheti ornantis et perpetui usus diversa quadam via ad similem effectum deducit. Quum enim epitheta ornantia quod cuique proprium est et peculiare exhibeant, non quo ab aliis differt, quamvis attributi vim comminuant, saepe etiam

significationem afficiant atque infringant, tamen magis etiam demonstrant, et subjectum cum attributo in unam solam notionem coaluisse, et subjecti notionem attributo definitam vel certe affectam esse. Sed haec aut gnaris praedico, aut, si tironibus praecipere vellem, a proposito longius recedendum esset. Quapropter ad objectum illico pergo.

Praedicati notio generalis et infinita plerumque objecto addito in certam aliquam regionem et viam dirigitur. Quo latius praedicatum patet, eo plus varietatis in objecti definitionibus esse potest. Quamobrem objecti quoque vocabulo nobis latius patente uti libet, quo omnes definitiones comprehendantur, quae loci, temporis, causae, modi ratione habita praedicatum circumscribunt. Ratio logica quum omnium illarum eadem sit, grammaticorum pace hac licentia usuri esse nobis videmur. Itaque sicut subjectum attributo, similiter praedicatum objecto definitur; ex utrorumque conjunctione non cogitatio efficitur sed una notio ex duabus conflata; attamen diversa quaedam inter utraque exstat ratio. Quum enim illorum par ex cogitatione vitae et actionis plena copula sublata ad inertem notionem concrescat, atque cogitatio in notionis quasi cancellis condita et vincta jaceat, contra objecto ad praedicatum accedente novum cogitationi oritur incrementum, non magis quod generalem praedicati notionem a suspensa ideae inanitate ad veram rerum naturam et vim revocat, ita ut bona pars verborum objecto utique carere non possit, quam quod ex ea qua objectum cum praedicato conjunctum est ratione nova plerumque cogitatio oritur, ultro se praebente novo quodam et subjecto et praedicato ex conversione grammaticae praedicati et objecti formae. Unde quanta vis logica ad objectum redundet, facile colligitur. Animadvertendum est etiam crebro verborum compositione objectum praedicato adjungi; non tamen sicuti subjectum in flexum verbi vel copulae ita transit ut ipso carere possimus, sed ut ipso verbo facilius carere possimus quam praepositione, veluti Graeci dicunt ἄνα, πάρα, μέτα.

Jam quum haec omnia doceant, plus ponderis esse praedicato si cum subjecto comparetur, objecto si cum praedicato componatur, attributo ubi cum subjecto conferatur, atque praedicatum, objectum, attributum propterea vocis sono premi, fugere nos non potest erecto animo veteres scriptores legentes atque diligenter animadvertentes, quoties oratio vel alia subsidia arcessat ad illam rationem logicam distinctius etiam significandam, neque satis habeat vocis sono acui illa vocabula in recitando. Etenim primum ordo verborum non minimum ad eam rem valet, qui apud poetas versuum etiam conformatione juvatur. Quum enim in versuum et compositione et recitatione non accentus rhythmici tantum, sed etiam accentus prosodiaci ratio sit habenda, abstinendum erit tertio illo accentu logico seorsum ponendo, ne numerosa oratio poetica in alia omnia abeat. Sic factum est ut singuli poetae pro sua quisque indole et pro versuum quibus usi sunt natura diversam consuetudinem sequentes accentum logicum aut cum arsi praecipua conjunxerint, aut primo et ultimo versuum loco eandem vim tribuerint quam pedestris orationis scriptores primo et ultimo periodorum loco impertiunt. Fuerunt etiam qui theses pedum praecipuorum sibi deligerent in quibus accentum logicum cum prosodiaco conjunctum collocarent. Primum genus animadvertes veluti in versibus trimetris, quorum sedes impares plerumque accentum logicum suscipiunt ut in hoc: Soph. Phil. 300 ταύτῃ πελάζει ναυβάτης ἀδεὶς ἐκών. Alterius generis exemplum habes ap. Hor. Carm. IV. 14. ubi inde a versu 33. *Te* anaphora repetitum sexies primum versus locum occupat. Tertium genus quum apud alios poëtas reperiatur, tum apud Horatium in consuetudinem maxime notabilem transiit, qui non satis habens versus Alcaici hendecas. syllabam primam et quintam, versus Alcaici enneas. syllabam quintam,

versus Sapphici syllabam quintam producere, fere ubique eas accentu prosodiaco pressit, et cum illo logicum accentum conjunxit. Exempla suppetant haecce: Versus Alc. hendecasyllabi pro multis significantia tantum haec afferam exempla. Carm. III. 4. 41. legitur

Vós lene consilium et datis, et dato Gaudetis, almae.

Quanta vis sit in illo *vos*, docent exordia stropharum sextae, septimae, octavae, decimae, undecimae quae splendida anaphora Musarum praesentiam et potestatem celebrant: *Vester Camoenae, vester — Vestris — Utcunque mecum vos eritis — Vos — Vos.* Ad hunc medium carminis versum usque cumulatis Musarum laudibus subsistit ille impetus poeticus, in summa totius carminis sententia exponenda, qua Musae poëtis *lene consilium* impertire dicuntur invictum utique, quum vis consilii expers sua mole ruat (v. 65) Carm. III. 6. 6. Toto carmine quum Romanos Deorum atque religionis admoneat, hoc potissimum versu dicit

Hinc omne principium, huc refer exitum.

Unde satis patet non minimum ponderis in hisce vocabulis esse positum. At haec res etiam prosodiae illorum vocabulorum aliquam lucem affere facile plurimum valet. Unde enim factum sit ut Hor. hisce duobus locis *principium* et *consilium* trisyllaba fecerit, aliis locis, velut Carm. IV. 14. 33.

Té copias, té consilium et tuos

solito more fluere siverit, ei demum liquebit qui perpenderit, illa arsi Horatiana sola sequentem vocalem in consonam transire et antecedentem syllabam produci potuisse. Simili ratione epicae illae reduplicationes consonarum, quum scriptae, ὄττι, ὄππως, tum non scriptae, ἀθάνατος, Ἄρες (sic enim scribendum censeo) ex sola vi arseos ortae sunt. Simili etiam ratione syncopae Horatianae plurimam partem ex arsi metrica cum prosodiaca conjuncta originem ducunt, veluti: *inimice lámnae, rege puértiae, quae me súrpuerat mihi, repóstum Caecubum, quanto moveas períclo.* Versus Alcaici enneasyllabi Carmin. III. 1. hi leguntur:

V. 3. *Audita Musárum sacerdos*
V. 7. *Clari Gigantéo triumpho*
V. 11. *Descendat in Cámpum petitor*
V. 15. *Sortitur insígnes et imos*
V. 19. *Dulcem elaborábunt saporem*
V. 23. *Fastidit, umbrósamque ripam*
V. 27. *Nec saevus Arctúri cadentis*
V. 35. *Caementa demíttit redemtor*
V. 39. *Decedit aeráta triremi*
V. 47. *Cur valle permútem Sabina*

omisi versus 31 et 43, ubi monosyllaba aliquatenus obstant.

Versus Sapphici primam stropham carm. I. 22. afferam

Integer vítae scelerisque purus *Nec venenátis gravida sagittis,*
Non eget Maúris jaculis neque arcu *Fusce, pharetra.*

Jam ut paucis complectamur quae de ellipsis grammaticae vi et natura disputavimus summasque sententias in uno conspectu ponamus, ellipsis grammatica est omissio vocabuli, cujus in verbis expressis supersint vestigia, ex quibus et omissum esse aliquid liqueat et quae sententiae pars omissa sit; quo vocabulo lacuna replenda sit usu solo docemur. Vocabulum omissum cum eo, in quo omissi supersunt vestigia eam habet rationem, ut hoc ex omisso pendere videatur, si grammaticam spectes; si logicam consulueris, omissum vocabulum levioris momenti sit, quam id, quod expressum est, quam rem accentus logicus confirmat.

Quod reliquum restat, ut et singulas ellipses grammaticas ex hac lege explicemus, et de ellipsi rhetorica nec non de aposiopesi exponamus, alteri hujus commentarioli parti reservandum est.

NACHRICHT

VON DEM ZUSTANDE

DES

KÖNIGLICHEN GYMNASIUMS ZU LISSA

während des Schuljahrs von Ostern 1850 bis Ostern 1851.

VOM

Director.

WIADOMOŚĆ

O STANIE

KRÓLEWSKIEGO GIMNAZYUM W LESZNIE

w ciągu roku szkolnego od Wielkiéjnocy r. 1850 do Wielkiéjnocy r. 1851.

napisana przez

Dyrektora.

A. Lehrverfassung. — Rozkład nauk.

